BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
15 D
45

Querel
Nephr.

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCI COLVTII VELITERNI MEDICI, AC PHILOSOPHI ROMANI,

DE QVERELIS NEPHRITICIS Ex Renum Calculo,

LIBRI TRES.

In quorum Tertio tractatur de Aqua Tyberina calculum generante, noua methodo, prout ſequens pagina demonſtrabit.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

P. Paulinus a S. Josepho an. 1750.



Bibliothecæ S. Pant. Schol. Piarum

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ROMAE, Apud Bartholomæum Zannettum, MDCXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.


Digitized by Google

12.15.b.45

FRANCISCI COLVTII VELITERNI MEDICI, AC PHILOSOPHI ROMANI,

DE QVERELIS NEPHRITICIS Ex Renum Calculo, LIBRI TRES.

In quorum Tertio tractatur de Aqua Tyberina calculum generante: noua methodo, prout ſequens pagina demonſtrabit.



ROMAE, Apud Bartholomæum Zannettum. MDC[illegible].

SVPERIORVM PERMISSV.

IN præſenti opere exactiſſima ſcientia tradetur nephritici doloris ex renum calculo, ex cuius cognitione vniuerſaliora ſpectantia ad omnes affectus renum, vreterum, & veſicæ notiſſima erunt, nec non etiam examinabuntur aliquæ nouæ, & non amplius impreſſæ dubitationes, & inter alias examinabitur Dubitatio illa celeberrima Aquæ Tyberinæ, ex cuius potu quotidiano, lapides Vrbem colentibus generari dicimus.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiſs. P.Mag.Sac.Pal.Apoſt.

Cæſar Fidelis Viceſgerens.

De mandato Reuerendiſs. P. Fr. Hiacynthi Petronij Romani Sacri Palatij Apoſtolici Mag. Ego infraſcriptus præſentem Librum, De Querelis Nephriticis ex renum calculo, Auctore Illuſt. ac Excellentiſs. D. Franciſco Colutio Velterno Phyſico Romano, perlegi diligenter, nihilque in eo inueni, quod doctrinæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, aut bonis moribus aduerſetur; & ideò in communem vtilitatem imprimendum cenſeo. In quorum fidem hæc ſcripſi, & proprio chyrographo ſubſcripſi hac die 22. Nouembris MDCXVIII.

Ego Franciſcus Lallus de Reguardatis Phyſicus.

Imprimatur. Fr. Greg. Donatus Rom. Mag. Reuerendiſs.P.F.Hiacynthi Petronij Rom. Sac.Apoſt.Pal.Mag. Soc. Ord. Prædicatorum.

ILLVSTRISS.MO PRINCIPI

SCIPIONI
BVRGHESIO
S. R. E. CARDINALI
AMPLISSIMO,
ET S. D. N. PAVLI V.
NEPOTI.

Franciſcus Colutius Medicus
S. P. D.

INITIVM ſcribendi de Nephriticis Querelis, ex otijs Romanę aulæ (Illuſtriſſime, ac Reuerendiſſime Princeps) emanauit, vbi na-

Digitized by Google

tum opus creuit, adoleuit, & perfectum eſt tandem, ſub ſanctiſſimo Chriſtianæ Reipublicæ regimine PAVLI QVINTI Pontificis Optimi Maximi, Auunculi tui. Hoc Tibi deberi munuſculum qualecumque ſit, ſemper iudicaui, tum propter excelſi animi egregias, & ſingulares laudes tuas, tum præcipuè propter tutelam, ac beneuolentiam, qua complecteris litterarum ſtudioſos, ex quo fit, vt vniuerſa Vrbs Roma Tibi Neſtoreos annos felicitatis cupiat, Tibi Critonis ſalutem. Ego autem, vt publicæ vtilitati conſulerem, in hanc Tractationem de Nephriticis Querelis ex renum calculo, cui malo, quàm multa loca vi-

debetur obnoxia, nihil tamen fa-ctūrum fuiſſe me ſemper putaui, niſi auſpicijs tuis, ea, quæ ſcripſi typis mandarentur; ſpero quidem fore vt, Dominationi Tuæ Illu-ſtriſſimæ non diſpliceant. Addita enim afferuntur à Reuerendiſſi-mo Domino Victorio Merullio, rei Medicæ peritiſſimo, & San-ctiſſimi Domini Medico à Secre-tis, qui propter eius virtutes Ti-bi gratiſſimus, rem credo meam facit gratiorem. Non vtar pluri-bus, ne de humanitate, quæ in-ter maximas virtutes tuas nulla minor elucet, videar aliquo mo-do dubitare voluiſſe. Viue diù de-cus ſplendoris Vrbis in tanta felici-tate felix, & in tuam me clientelam fortunatiſſimam, quæ nullis pati-

tur terminis circumſcribi; perhumaniter admitte; hac enim nihil mihi iucundius, nullum præſidium maius, nihil vtilius accidere poſſet. Romæ, Menſe Ianuarij, MDCXIX.

ORDO TRACTANDI DE QVERELIS NEPHRITICIS EX RENVM CALCVLO.

Ea quæ tractantur in Primo Libro.

PROLOGOMENA pro calculi dignotione. pagina 1. *& ſeq.*

Collectio Prima. 19

De partibus affectis ex renum calculo. Cap. I. 19

An ſit calculus. Cap. II. 27

Vt generetur calculus. Cap. III. 29

Vbi generetur lapis, quem non ſolum in renibus, verùm in aliýs partibus corporis generari dicimus, vbi variæ obſer-

ua-

uationes afferuntur. Cap. IV. 32. & *ſequent.*

Quid ſit calculus, & in quo genere morborum, & ſymptomatum ponatur. Cap. V. 52

Collectio Secunda. 54

Ad quod genus excrementorum præter naturam calculus reducatur. Cap. I. 55

De cauſis calculi. Cap. II. 57

Collectio Tertia. 66

De ſignis calculi dignoſticis, & explicatur Aphor. 79. 4. part. Cap. I. 67. 69

De dolore, vt ſigno præſente lapidis, quid ſit dolor, & qua corporis parte fieri poſſit, & quomodo, & an requirantur nerui, vt partes ſentiant, & doleant. Caput II. 75

Vt dolor nephriticus differat à colico, ſiue ileo, ac de paralyſi poſt colicum dolorem. Cap. III. 87

Col-

Collectio Quarta. 95
Prænotio calculi ratione euētus.Cap.I. 96
Prænotio calculi ratione temporis.Cap.II. 100
Prænotio calculi ratione modi. Cap.III. 101

Ea quæ tractantur in Secundo Libro.

Vt ſumantur indicationes curationis. 105
Collectio Prima. 107
De aluum cientibus per enemata, & alia præſidia, de anodinis, opiatis, ac alijs tollentibus dolorem, affertur locus Aetij, & obſeruatio exemplaris pillularum de cinogloſſa, terebinthinæ, & oſſium meſpilorum. Cap.I. 108.*& ſeq.*
De ſanguinis miſſione in calculo, & eius dolore, obſeruatio aperitionis venarum in ſede. Cap.II. 123.*& ſeq.*
De Balneis, & eorum vſu in nephriticis. Cap.III. 135
Col-

De cauſa tollenda in calculo per victus rationem, vbi affertur text. Hippocr. 6. Epidem. 6. 142. 143
De facultate panis, ſpeciebus, ac eius electione in Calculo. Cap. I. 146
De vſu carnium in calculo, earumque electione, & abſtinentia. Cap. II. 148
De lacticinijs, & eorum vſu in calculo. Cap. III. 151
De vſu piſcium in calculoſis. Cap. IV. 155
De vſu plantarum in calculo, & primum de oleribus, ideſt herbis. Cap. V. 158
De radicibus floribus leguminibus, ſiue ſeminibus lotiū cientibus. Cap. VI. 160
De facultate, & vſu fructuum in calculo laborantibus. Cap. VII. 164
De edulijs eximio artificio compoſitis an ea calculoſis conueniant, & an varia cibaria ſint amplectanda, an ſimplicia. Cap. VIII. 166
De qualitate, ſubſtantia cibi, & tempore cibandi calculoſos. Cap. IX. 170

De

De excretis, & retentis in calculo vbi explicatur particula Hippoc. Liberantur cum cibis euacuati ſunt.Cap. X. 174
De motu in calculoſis, vbi explicatur altera particula, Quieſcere non conducit, ſed exerceri. Cap. XI. 176
De aëre, ſomno, vigilia, animi perturbatione in nephriticis.Cap. XII. 179
De vinis, & aquis, quæ veniunt ad vſum calculi, & adducitur locus Hippocr. de potione. Cap. XIII. 182

Collectio Tertia. 190

De Pharmacia.Cap. I. 190
De lotium cientibus, & calculum atterentibus vbi refellitur veterum renum lithotomia. Cap. II. 194
De aquis medicatis pro diminutione, & ablatione lapidis renum, præcipuè de aqua Anticoli Campaniæ, ac Romanis acetoſis.Cap. III. 200
De amuletis, quæ agunt à proprietate, & ſympathia in renum calculo. Cap. IV. 216

Ea

Ea quæ tractantur in Tertio Libro, ſunt quædam Dubitationes ortum ducentes, à querelis nephriticis ex renum, & veſicæ calculis. 219

An frequens vſus aquæ Tyberinæ temporis lapſu arenulas, & calculos creare poſſit; conſequenter quæ ſint optimæ aquæ Romæ, & alibi. Dub. I. 221

An diuretica conſentanea ſint calculoſis. Dub. II. 242

An conueniat vſus cantharidum in ſuppreſſione lotij ratione calculi renum, vel veſicæ, vel vreterum. Dub. III. 248

An ingens renum caliditas, vt efficiens calculum ſit frenanda frigefacientib. & abſtergentibus, alijſque huius generis. Dub. IV. 253

An in lapide renum, & in eorum querelis inappetentia ſemper concurrat. Dub. V. 259

An

An illis, qui habent propenſionem ad calculum, & renum calculo laborare ſolent, ſuperueniens gonnorrhea ſit ſalutaris. Dub. VI. 273

An calculi, ſiue arenulæ renum defluxæ ad veſicam ſint cauſæ, & rudimenta lapidis; An verò craſſius, & terreſtris ſuccus influxus in capacitatem veſicæ ſenſim calore lapideſcat. Dub. VII. 291

An balneorum naturalium vſus ſit extrinſecus, an verò intrinſecus in calculo laborantibus. Dub. VIII. 300

An Galliæ, Hiſpaniæ, Candiæ, & alijs regionibus, & locis Neapolitanis vtentibus vinis generoſis, vt claretto, maluaſia, græco, clarello, & ſimilibus potentiſſimis vinis calculus frequentior ſit, quàm alijs regionibus, & locis habentibus vina leuia. Dub. IX. 307

Cur lapides renum paulatim medicaminibus diureticis frangi poſſint, veſicæ verò magni nequaquam, ſed ſola lithotomia præſidium eſt, & ſoluitur quæſitum de extractione lapillorum, qui in medio virgæ, vel collo veſicæ detinen-

tur,

tur, necne etiam quæritur, an vlcus renum, vel veſicæ ex lapide, recipere poſſit curationem. Dub. X. 315
An cælum Romanum ſit magis obnoxium calculo, quàm multa alia loca, præcipue propter affectiones hypocondriacas, quibus eſt maximè obnoxium. Dub. VII. 326

FRANCISCI COLVTII PROLOGOMENA

Pro Calculi Dignotione,

PERILLVSTRI, AC REVERENDISS. D.

VICTORIO MERVLLIO

PROTONOTARIO APOSTOLICO, & S. D. N. PAVLI V. Medico à Secretis.

Liber Primus.

MEDICORVM vetus axioma fuit (perilluſtris, ac Reuerendiſſime Domine) ni medendi ſcientia rationem, & experimentum iunctum haberet, vna ſine altero, alterum ſine vna claudicaret, truncaq. ac debilis eſſet, quod peritiſſimus poſt Hippocratem

Celſus ſcriptum reliquit initio libri primi, repertis deinde iam medicinæ remedijs, homines de rationibus ipſorum differere cepiſſe, nec poſt rationem medicinam eſſe inuentam, ſed poſt inuentam medicinam rationem eſſe quęſitam. Ex quibus nobis colligere fas ſit modum ratiocinandi, & experiundi in re medica ſimul eſſe adnexum neceſſarium fuiſſe, & licèt morbi remedijs curentur, eloquentia tamen, ac ratione eorum cauſæ abditæ inquiruntur; & vtinam hoc ſæculo multi non exiſterent, qui relicta ratione empyricam tantum partem ſequerentur imitantes Diodorum, Lycum, Appollonium, Heraclidem Tarentinum veteres, qui nil facientes rationem empyricos ſe appellarunt, ijq. potius ſunt vituperandi, quàm in medicorum numerum recipiendi (faxit Deus) quoniam ego hanc prouinciam ſuſcepi tractandi rerum querelas, de quibus non defuerunt viri ingenio, ac doctrina præſtantes, qui ſcripſerint, & hanc tractationem facillimam reddiderint, eorum minimus ali-

aliqua à nemine tacta tangam, quoniam ieiunè nimis, & parcius, quàm rei dignitas requirébat perſequuti ſunt, & vtramque hanc partem attingam, videlicet, rationalem, & empyricam; ratione verò ita Renum occultas cauſas facientes dolorem, & calculum procreantes perquiram, vt Medicis ſatisfaciam quod difficile eſt in tot geniorum, & ingeniorum varietate; etenim qui rationes affert is auditorem, ſeu lectorem ſibi iudicem conſtituit qui pondera rationum examinando de propoſita ſententia decernat: (vnde bene Plato in Solone ἔϱγμασι ἐν μεγάλοις πάσιν ἁδεῖν χαλεπόν. In magnis difficile eſt placeas: Morbus enim internus vtique Renum magnus eſt, de quo potius opinionem, quàm ſcientiam eſſe Hippocrates exiſtimauit) empyricè tandem ita præſidia opportuna perſtringam, vt multi finem, quem expectant huius tractationis, & obnoxij calculo renum vtilitatem, quam cupiunt conſequantur, & ſic tractatus rei medicæ renum querelarum non trun-

cus, non debilis, atque immaturus erit. Vtrumque ſit à calumnijs multorum difficile eſt liberari; Sed te Adiutore Patrono, atque Pontificiæ maieſtatis ſanitatis Gubernatore, & Medicinæ Romanæ Archetypo à quacumque tempeſtate me liberaturum ſpero.

Munus, & finis renũ.

Et his derelictis veniamus ad rem. In primis ſciendum eſt naturam renes creaſſe, vt ij eſſent inſtrumenta mundificantia ſanguinem ex ſuperflua aquoſitate, ita vult Auic. lib.3. fen.18. tractatu 1. cap. 1. ſumptum ex Gal. 4. de vſu partium cap.6. & 5.cap.5. idem de locis affec.lib.5.cap.vlt. voluit naturam creaſſe renes, vt ſanguis eſſet craſſus, lienem vt eſſet lucidus, ciſtam felleam, vt eſſet dulcis, creaſſe quoque pares, quia ſi vnus altero maior eſſet alterum comprimeret, ne hoc igitur inconueniens ſequeretur facti ſunt gemini, ſitum formam totamq. conſtructionem muneri dicto idoneam obtinentes: Quo ocius enim renes humorem ſeroſum, quem vrinam, & lotium vocamus ſanguini adimant, quam

Cur pares ſint facti renes.

fieri

fieri potuit proximè ambo iecori allocantur in ventre inferiori, adhærentes ſummis lumbis iuxta dorſi vertebrarum vltimarum latera, tribus humilioribus coſtis obducti, ea potiſſimum parte, qua ille in poſteriora obliquantur, his enim coſtarum in poſteriora flexus ita opportunam renibus ſedem offert, vt & tuto vallentur, & antrorſum prominentes cæterorum organorum nutritionis ſedem haud occupent; facti enim ſunt bini renes,& non vnus,quia natura in partibus maximè neceſſarijs gemina ſemper extitit, vt oculos quos tanquam exploratores, & ſpeculatores in editiſſimo loco, ac ſumma arce locauit, figura compoſitione reliquis ſenſibus præſtantiores,puriſſimo, ac nitidiſſimo cryſtallo fulgentes, quo quæ animanti vtilia, & nocitura erant proſpicerent; pari modo artifex naturæ binos renes fecit,ac opportunum locum partibus naturalibus tribuens, vt ſanguinem ab aquoſitate expurgarent, quod forſan non vnus non ambo alibi locati aſſequi potuiſſent, at quia iecori

Situs in corpore humano renum.

Cur bini renes, & non vnus.

erant appropriati, prope illud erant allocandi, vt traherent illud aquei ſanguinis, quo puriori cum ſe nutriuerint cæterum ad veſicam demitterent, vt excrementum lotium vocatum redderetur.

Cur ren dexter elatior ſiniſtro.

Ren verò dexter grandior, & elatior eſt ſiniſtro hepatique propinquior, ita ex Anatome Ruffi Epheſij lib. 2. cap. 12. habetur, conſequenter magis trahens, quia plurima cauæ venæ germina in dextram partem orificijs deſinunt, ſic Gal. de vſu partium lib. 5. cap. 6. Eſtque etiam minus pinguis, & ſiniſtro ſiccior, cum calidior elatior eſſe debet (calidi autem eſt eleuare) ſiniſter poſitus eſt deſcendens, quoniam compreſsio fit in latere ſiniſtro à ſplene, & ratione longinquitatis ab hepate in primis ad propinquiorem, ſecundò ad longinquiorem aquoſitas trahitur;

Ariſt. opinio.

Ariſtoteles 3. de partibus animal. cap. 9. ideò voluit dextrum elatiorem eſſe ſiniſtro in animalibus omnibus, quæ renes habent quia motus ex parte dextra prouenit, naturaq. dextra proinde validior, ideò partes omnes mouendi

cauſa

cauſa vergant ad ſitum potius ſuperiorem oportet, vt ſupercilium dextrum magis attollitur, & arcuatum magis, quàm ſiniſtrum habetur; licèt Veſſalius horum recentior probet in multis corporibus diſſectis, vidiſſe ſiniſtrum elatiorem dextero, in ijs præcipuè quibus minor lien, & maius iecur obtigit; quorum renum ſubſtantia eſt carnea denſa admodumq. ſolida, & dura, parumq. à cordis ſubſtantia diſsimilis, præterquam quod nullis omnino fibris intertexitur, fibrarumq. vt iecur, & pulmo expers eſt, qui formam oblongam habent minusvè latam omni ex parte æqualiter craſſi, in latere exteriori orbiculares, & gibbi, & craſſiores apparent, in parte vero interiori partim gibbi, partim caui, quæ cauitas interna omnibus in animalibus renes habentibus adeſt ſiue amplior, ſiue arctior, præter quam in vitulo marino, eius enim renes bubulis ſimiles, omnium firmiſſimi ac ſolidiſſimi ſunt, ad quam cauitatem deferuntur (vt puta hominis) duæ venæ emulgentes vocatæ ſeroſum

Subſtátia renum, & forma.

Ariſt. loco citato.

Venæ emulgentes arterijs ſociatæ.

 ſan-

ſanguinis deducentes, quarum vna cadit ad renem dexterum, altera ad ſiniſtrum, ſociatæ tamen arterijs, tam in parte ſiniſtra, quàm dextera, ortum habentibus ab arteria, quæ aduenit hepati ex corde, vt optimè oſtendit Veſſalius in figura 22. quinti libri. Cùm verò renes aquoſitatis tractæ ſimilis loturæ carnis parte magis purificata ſe nutriuerint, cæteram ad veſicam demittunt, dimittunt autem per duos meatus exangues vreteres vocatos, qui ad veſicam admittentes hunc humorem ſenſim defluere ſinunt, quam percolationem lotij à renibus ad veſicam egregiè hoc modo deſcripſit præclariſſimus Auctor Areteus, de Renum affection. lib. 2. cap. 3. Renes ſinus habent exiguos ad lotium excolandum cribrorum inſtar foraminibus peruios, ex vtroque neruoſi canaliculi tanquam fiſtulæ expullant, qui in veſicæ terga vtrinque ſeſe inſerunt, at neuterici Anatomici aliter renum ſinus confingunt, vnum vocant ſuperiorem, in quem dicunt finiri venam, & ar-

Vreteres.

Percolatio lotij, & ſinus renum.

& arteriam, quæ renibus defertur: Alterum inferiorem, à quo dicunt vrinari meatus explantari, vrinamq. iam colatam excipere. Verùm Veſſalius alio modo hanc ſectionem explicat, & alium modum deſcribit. Nam ipſe non vult vrinarios meatus pendere ex humiliore ſede ſinus; verùm ex medio renum interni ipſius lateris venæ cuiuſdam inſtar procidunt dicti meatus orinarij; incipiunt enim ab externo latere membranei corporis vbi primum in ramos ſcinditur, quippe cum venæ, & arteriæ in renes ſubeunt in vnum degenerant corpus, adeò vt vnum quodammodo ſinum efficiant, quoniam anteriores, & poſteriores venæ in vnum coeunt. Verùm bipartitus ren geminus conſpicitur ſinus, ſuperior ſemper ſanguine plenus eſt, alter eſt enutritus, & oppletus ſeroſo humore, & adipe duro, quem malè renum ſectiones aſpicientes vocarunt operculum vrinarij meatus, contra quos optimè, & perbellè diſputat ac oſtendit idem figura 21. lib. 5. Sed & renes glandulas ha- Glandulæ renum.

habent,hi ſiquidem multa humiditate, redundant, ſunt autem hac parte maiores, quàm aliæ quæuis glandulæ, neque enim qui influit humor in renes inbibitur, ſed infra ad veſicam defluit quare, quidquid ex ductibus lucrifaciunt id ad ſeſe attrahunt, cùm glandarum natura, ſpongioſa ſit friabilis, multis venis refecta rara, neque carnem habet reliquo corpori ſimilem Hippocratis ſententia, fuit libro de Glandulis: Præter hæc ſunt etiam vallati duabus tunicis ortu ſubſtantia variantibus: Prima exterior renis tunica corpori pertinaciter non adnaſcitur, nihilominus ipſi inſtar inuolucri circumquaque obducitur; & hinc etiam renis faſcia vulgò nuncupatur; quæ frequentibus venis inſtar omenti intertexitur, multaq. pinguedine, quæ tunicæ tam in parte ſiniſtra, quam dextera habent propagines venarum à vena caua, Altera renum tunica tenuuior eſt, nullis venis neque adipe obſita, & validiſſimæ ſubſtantiæ renum connata: Poſtremò renibus, vel corum,

Renum, tunicæ.

ca-

cauitati valde ſenſibili, adueniunt nerui multi paruuli graciles ortum habentes, à ramis ſextæ paris neruorum cerebri, qui coſtarum radicibus exporriguntur, ex illo faſciculo Fallopij natura ſingulos ad vtrumque renem diffudit, in internam ipſorum tunicam potius, quàm in corpus illos diſpergens. Et hæc eſt naturalis renum breuis ſtructura. Licèt Schenchius monſtruoſas, & raras anathomes renum referat, vtique quadruplices, tres renes ex Euſtachio libro de Renum ſtructura cap. 10. finibus tamen atque vaſis inter ſe diuiſos, vnum ſolummodo eumque maximum repertum fuiſſe ex ſententia etiam Columb. lib. 15. anat. cum Ariſtotele de Generat. animalium lib. 4. cap. 4. & Veſſalio lib. 5. cap. 10. quatuor, tres vreteres aliquando, duos in vna parte, vnum in altera ex Achillino tres quatuor venas emulgentes, & arterias, & vt quid valdè monſtruoſum, Pareus lib. 2. cap. 25. anat. in quodam corpore calculoſo ſeptem emulgentes fuiſſe inuentas ait, quatuor ab vno latere ſiniſtro,

Renum nerui.

Mõſtruoſę renum ſtructuræ.

ſtro, tres à latere dextero diuerſis pariter locis, quæ potius monſtruoſum, quàm ſitum, & ſtructuram naturalem ſeruant, & vt talia rarò contingentia noſtram renum declaratam ſtructuram non deſtruent. Ex quibus prædictis duo occurrunt dubitationes. Primò an alia animantia irrationalia habentia renes patiantur renum affectiones. Secundò an qui arenas mingunt ſint calculoſi, & cur non calculoſi. Quoad primum non pati renum affectiones problema eſt Ariſtotelis 42. ſectionis 10. dicentis cur nullum animal, niſi homo calculoſus fieri poſſit. An quia iumenta, & quæ vnguibus ſunt numeroſis veſicæ meatus obtineant ampliores: cui Ariſtoteles reſpondet aliqua animantia non habere veſicam, vt piſces nonnulli; neque renes, vt pennata, ſquammata corticata, excepta teſtudine, teſte eodem 3. de partibus animalium 9. licèt genus teſtudinis, quam lutariam vocant propter mollitiem tegminis veſica, & renibus etiã careat. Et tunc illis humor ſubſidens totus in aluum
con-

conſtringitur, & conſequenter calculoſi non fiunt. At Alexander libro 1. probl. 108. acutiorem rationem affert; quoniam larga humoris copia ad pennarum ortum, & incrementum opus erat, quía etiam continens volandi euibratio poteſt abſumere humorem. Aues igitur hac de cauſa vſu mingendi caruerunt, cum tamen bibunt, ſtercus cum larga copia humoris eijciunt. Iumenta verò non fieri calculoſa, non eſt dubium apud problemata, nam meatus vrinarij eorum ſunt ampliores, ideò excrementum retineri nequit, homo verò veſicam habet, & ceruicem canali anguſto præ magnitudine porrectam, & quantum terreni humoris euocatur in veſicam contruditur, ſed retinetur in renibus, & augetur propter canalis anguſtiam, & vaſorum omnium ad lotium conſtructorum obſtructionem, enim verò terrena ſubſidentia prodire nequit reuerſa coeret inter ſe, & calculum efficit, vt infra latius dicetur. Neque è contra deſunt rationes alia animantia irrationalia habentia re-

Cur præcipuè homo calculoſus fiat ex Ariſt.

nes

nes pati poſſe renum affectiones, nam etſi obtineant meatus, ampliores tamen ſunt magis prompta fortaſſe ad generandum lapidem, quàm viri, tum ratione diuerſarũ aquarum habentiũ vim procreandi calculum, quas aſſiduè potant, tum etiã quia oppoſitum praxi quotidiane reſpondet, vtique patet in equis, quos multoties videmus ſæuis doloribus cum mingendi difficultate vexari, adeò vt cum corripiuntur perſæpè pereant (enim verò iſchuria ſuperuenit) cui affectioni etiam artis equorum periti enemata inijciunt, ex quorum iniectione non parum vtilitatis eos recipere narrant. Ratio verò cur iſta ſymptomata calculorum, non videantur in dies ſingulos ſuperuenire alijs animantibus irrationalibus eſt in promptu, quoniam eorum non fit diuturna obſeruatio, vt hominum; hoc eſſe veriſsimum, cætera nimirum animantia pati poſſe affectiones renum, apud equorum præcipuè peritos non adeſt dubitatio: non tamen affirmandum erit Ariſtotelem in hoc quæſito allucinatum

fuiſſe,

fuiſſe, cum ipſe loquutus ſit problematicè, & vt plurimum, non autem phyſicis demonſtrationibus: nam 8.Hiſt.Animal. 24. equos omnibus morbis infeſtari, ac homines comprobauit. Quoad ſecũdum ſuppoſitis ijs quæ infra dicemus de cauſis generantibus calculum, dico cauſam eſſe in promptu, cur non ſint calculoſi omnes, qui arenas mingunt, nam vt arenulæ cogantur, & in vnum coeant, egent viſcido aliquo, & crudo humore tanquam glutine, in quo opus eſt tempore, vnde oriatur obſtructio ab ijs craſsis, & viſcidis humoribus, & idcircò vrina reddita acriori, & feculenta, ac superuenientе calore, à quacumque parte vt puta hepate, corde, liene, renibus, quod diù impactum fuit in anguſtis meatibus induratur, lapideſcit, figuramq. accipit à ſinu in quo eſt, & hæc eſt cauſa cur non omnes, qui arenulas mingunt, ſint calculoſi ratione temporis, quod requiritur ad faciendum lapidem: neque eſt neceſſe in renum calculo ſemper arenulas excerni cum vrina, quippe in multis re- Non omnes qui arenas mingunt ſunt calculoſi. In calculo nõ ſemper neceſſe eſt arenulas excerni.

pe-

periatur calculus infoſſus renum ſubſtantiæ, & tamen numquam arenulas minxere, neque laborauerunt dolore, vel vrinæ difficultate: quando verò calculus à rene in veſicam deſcendit, tunc Archigines, & Philagrius arenas reddi voluerunt. Qua de re cum munus renum ſit, vt dicebamus, aquoſitatem ſeparare à duobus iecoris excrementis, dum ſanguis in eo perficitur, vt puta melancholia, bile cumulatiore, ſicut docet Galenus de vſu partium lib. 5. cap. 6. eſt in cauſa, vt inter percolandum hunc humorem, qui iure optimo excrementum venarum, & arteriarum dici poteſt, ſeuocatum in ſecunda coctione, quæ propria eſt hepatis, & venarum meſaraicarum, aliquando, & ſæpius illud excrementum retineatur, aliquoties nullo modo retineatur. Retenta igitur quæ deberent expelli, & non retenta quæ eſſent retinenda, varios renum affectus generare ſolent, ideòq. cum renum facultates debilitantur, vel hepar debile eſt egreditur aquoſitas aſſociata ſanguine, vnde renum de-

Officium renum eſt aquoſitaté ſeparare à bile & melancholia.

Cur morbi renum oriantur.

debilitas, vitiata mictio, & fluxus ſanguinis exoritur: fiunt etiam ſtranguriæ, dyſuriæ, iſchuriæ, ideſt ſtillicidium vrinæ, difficultas mingendi, retentio vrinæ, ex quibus corroſiones cum acrimonia, abſciſſiones venarum, ſæuiſſimæ obſtructiones vlcera, & alij quàm plurimi affectus procreantur, propter ſuperfluitates aſſiduas, quæ à membris fortioribus ad debiliores renes demittuntur. Quorum tractatio non erit huius loci primaria, ni vniuerſaliora lambendo, & percurendo: ſed præcipuè in dies ſingulos euenire ſolet dolor renum ex calculo, ortus ratione ſuperfluitatum exitum arenarum, ſiue quidquid aliud impedientium, vel ratione ſanguinis grumoſi, vel puris, vel filamentorum, vel craſſi humoris, & flatus obſtruentis vaſa ad lotium à natura conſtructa, & idcircò poſtea coherent ſimul arenulæ inter ſe, & craſſi humores, ex quibus temporis lapſu calculus fit, & dolor, & de huiuſmodi dolore, ſiue ex dictis cauſis patrantibus calculum, ſiue ex calculo, & calculo contento in renum ca-

De calculo renum quo cognito cætera erunt notiſſima.

cauitate, ſiue ſubſtantia, ſiue vretere ſermo nobis faciendus eſt, licèt cæteri affectus tam veſicæ, quàm renum ex horum cognitione notiſſimi erunt, quos omnes nomine nephritici vulgus Medicorum comprehendit, vt teſtatur Galenus libro de Dignotione, & Medicatione renum affectuum cap. 2. omnis enim affectus, quo ren laborat quamquam nephritis dicitur ſiue his ſimilaris ſit, ſiue inſtrumentalis, ſiue communis; propriè tamen λιθίασις, ideſt calculi morbus nephritis appellatur.

COLLECTIO PRIMA,

De parte affecta calculi, an ſit, vt generetur, & vbi; poſtremò quid ipſe ſit.

CAPVT PRIMVM

De ſedibus affectis ex calculo renum.

TRACTATIONEM calculi renum, & dolorum antiquam eſſe teſtantur omnes ſcriptores tam veteres rei medicæ, quàm recentiores, adeò vt illud probare, & teſtes in medium afferre ſuperuacaneum videatur; neque ero ſcripturus in huiuſmodi tractatu qualibet in re procemia non periodos, non rei longitudinem, atque prolixitatem; ſed breuiori methodo qua potero, & vt dicunt analitica; Neque expectetis quid ſim dictu-

rus, quid tractaturus, quem ordinem ſeruare debeam, quid prius, quid poſterius; ſed ex ijs, quæ infra, rei ſubſtantiam quilibet intelliget, & pro intelligentia huius Collectionis, & capitis notandum eſt primò, partem affectam tripliciter ſumi poſſe, propriè pro ſede ipſa affecta, impropriè pro ſede cauſarum affectus, tertiò pro ſede ſucceſſiua, & per conſenſum. Notandum ſecundò, vt tritum eſt morbum eſſe in triplici differentia in intemperie, in ſoluta vnitate, in mala compoſitione à Græcis vocata διαπλασμὸ, quæ differentiæ habent ſub ſe ſpecies, de quibus Galenus de differentijs morborum. Notandum tertiò ſymptoma tripliciter etiam accipi, primò pro quolibet affectu ſenſuum externorum noſtri corporis non primò ledens actiones; ſecundò pro offenſis functionum; tertiò pro omni exceſſu excrementorum, vel in quantitate, vel in qualitate, de quibus plura Galenus de ſymptomatum differentijs. Quam obrem ex prænotatis ſtatuendum eſt (cum in humano corpore variæ, & plu-

res partes contineantur, quarum aliæ inſeruiunt facultatibus animalibus, aliæ ſpiritualibus, aliæ naturalibus, aliæ procreationi; inter naturales aliæ coctioni alimentorum, & diſtributioni potionis accommodatæ; aliæ expurgationi excrementorum, vt ſunt inteſtina) has omnes partes, ſedes cauſarum affectus eſſe poſſe; partes enim fortiores demittunt ad debiliores, vt habetur 2. de differentijs febrium vltimo. Secundò dicendum eſt partem affectam primario in calculo, eſſe renum cauitatem cum facultatibus intemperatis, nimirum retentricæ, & expultricæ. Tertiò denique ab eodem Galen. confirmatur ſecundarias partes affectas, & ſucceſſiuas eſſe vreteres, ita 6. de locis affectis cap. 3. cum in renes vreteresque lapis notatu dignus inciderit; ſtatim dolor; ex quo loco colligere licet hos eſſe partes affectas: colligitur quoque & ſi lapilli in renum cauitate contenti, & delapſi ad eoſdem vreteres ſint parui, & facile eijciantur, non poſſe dolorem ab ijs excitari; verùm ſi notatu di-

Partes affectæ in calculo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

digni cum obſtructione, & maxima lapillorum copia quærimonias ſæuiſſimas moueri.

Sed contra aliquis inſurgere poſſet obijciendo lapillos non tranſire per vreteres, tunc ij poſſent quoties appareret in illis aliquod foramen, ſed apud Anatomicos ſenſui, & experientiæ patet non eſſe aliquod foramen, ergo non poſſunt tranſire lapilli per dicta vaſa, & conſequenter non ſunt partes affectæ. Cui difficultati breuiter ſic reſpondetur, dato, & non conceſſo in illis nullum foramen apparere, tamen nil valet argumentum, & facile proſternitur, nam ſunt multæ corporis partes, quæ ad dilatationem & constrictionem ſunt maximè opportunæ, vt notum eſt de vtero, qui fœtus emittit; & tamen in naturali ſtatu non videtur apte natus ad emittendos fœtus, niſi illi ineſſent, ſcilicet ceruici duæ tunicæ exterior neruoſa, interior venoſa pro dilatatione, vt fętus emittatur, quod colligere eſt ex Galeno de vuluæ diſſectione cap. 3. Eadem eſt ratio vreterum.

Etenim

Etenim ſunt meatus quidam apti nati maximè ad dilatationem, & conſtrictionem, ſi materiæ maiori quantitate quam par eſt vrgentes in eos labantur, idcircò cùm maximi ſunt lapilli, vt eos concipere nequeant, dolores teterrimi, & acerbiſsimi excitantur; ex quo remanet ſoluta dubitatio ratione dilatationis, & conſtrictionis quippè ſint meatus opportuni ad dilatationem, & conſtrictionem, immò acutiſsimus Fernelius lib. *6.* path. cap. 12. narrat vidiſſe vreterem ita latum, vt maior digitus immitti poſſet; pro quibus confirmandis de vreteribus nobis fas ſit recentem Illuſtriſsimi Caetani obſeruationem: deinde duas alias Vidij Vidij Iunioris lib. 10. cap. 17. de curatione membratim referre.

Illuſtriſſimi Card. Caetani Romana Obſeruatio in eius corporis ſectione, Iunij MDCXVII.

NEque longe adeſt exemplum, & Romana obſeruatio Illuſtriſsimi

Card. Caetani, in cuius corporis ſectio-ne præter alia fuit inuentus vnus ex renibus reſicatus, & ad paruitatem caſtaneæ redactus, necne etiam lapillus aſper vndequaqne in medio vnius vreteris, altero tamen vaſe vretere arenulis perſiſtente pleno, quæ omnia fortaſſe præbebant cauſas tot ſymptomatum, quibus Illuſtriſsimus Dominus tunc temporis laborauit, teſtis eſt excellens, & Illuſtris D. Laurentius Garzonius, qui illius curationi,& ſectioni corporis prçfuit,quam ſectionem peregit Romanus noſter Anatomiſta, Illuſtris D. Ioannes Maria Caſtellanus.

Vreterum altero reſicato, altero calculo obſeſſo ægri duo mortui, Obſeruatio.

INter cæteras morbi ſpecies canalium anguſtia, quæ dum ad vtrumque vas pertinet, tanta fit, vt omnimodam inducat vrinç ſuppreſsionem,quam potiſsimum excitauerit, vel grandior calculus, vel ſumma ſiccitas, vel quæuis alia

alia pertinax vna ſimul in vtroque ſuborta, affectio ferè exitialis eſt, namque vbi ſerum, quod à renibus ad vretera vaſa defertur transfundi non poſſit, in ipſam veſicam, & inde extra corpus detrudi, regurgitat in venas, atque arterias, corrumpit ſanguinis æconomiam, febres putres excitat, vires diſſoluit, natiuum calorem ſuffocat, ac propemodum malorum omnium valde deteſtabilium occaſionem præbet, quemadmodum ſuperioribus annis, Florentiæ accidit Raphaello Turiſiano mercatori ditiſsimo, qui cum alias pluribus menſibus anteactis nephritico dolore laboraſſet, indeq. eueniſſet (vt poſtmodum patuit) quod alterum ex eius vaſibus vreteribus fuiſſet penitus obſtructum ſocio interim bene valente, atque incolumi. Accidit tandem poſt multos ab eo in victus ratione commiſſos errores ignaro eius mali, qui illi imminebat, vt alterum quoque vas vreter à grandiori calculo in illud ex ſuperiecto rene compulſo poſt nouum dolorem nephriticum, penitus fuerit obſtru-

Obſeruationes veterũ calculis laborantium.

ctum,

ctum , atque adeò excretio vrinæ ſuppreſſa, vt ne guttulam quidem eius detrudere potuerit, eo quod nulla penitus in veſicam alioquin bene valentem deſtillaret, quod pariter poſtmodum Lugduni obſeruauimus in Ioanne Iacobo Auerina Senatore Pariſienſi viro doctiſſimo, atque integerrimo, quibus duobus tam claris ægrotantibus, quamuis varia præſidiorum genera fuerint ex arte adhibita, Turiſianus tamen inſtante duodecima ſuæ ægritudinis die, Iacobus autem iam accedente nona, cum interim nullam vrinam reddere potuiſſent febre aſſidua correpti, alijſq. grauiſsimis ſymptomatibus detenti periere. Quorum cadaueribus diſſectis in vtriuſque dextero latere antiquata anguſtia, ac quaſi canalis vreteris exſiccatio apparuit; in ſiniſtro autem vtriuſque eorum vretere, calculus repertus eſt admodum inſignis nuclei pinei figuram ſeruans, qui licèt extra ſuperiectum renem potuerit compelli à facultate expultrice in ſubiectum, ac ſibi continuum vas vreter alioquin

in

in parte ſuperiori aliquando patentius, reſtitit tamen in medio itineris, vbi cauitas ſuapte natura eſt magis anguſta, & propterea non potuit ad veſicam transfundi, licèt vtrique dum vixit validiſſima ac plurima præſidia fuerint adhibita.

CAPVT SECVNDVM.

An ſit Calculus.

ALtera dubitatio, quam ſupra præponebamus erat, an eſſet calculus? Et in primis ſciendum propoſitionem an ſit, ex Ariſt. 1. poſteriorum poſtulare an res ſit vera, & an res apta nata ſit definiri, quæ conditiones omnes calculo competunt, quod poſſit definiri infra videbimus. Dari verò calculum, probatur primo ex Auicenna lib. 3. fen. 18. tractatu 2. cap. 6. vbi ait, communicant enim renes, & veſica in cauſa generationis lapidis, & paulò infra, eſt enim lenior lapis qui in renibus, & magis decliuis ad rubedinem, qui verò in veſi- Datur verè calculus.

ca

ca eſt durior,& maior ac decliuis ad puluerulentiam, fuſcedinem, cinereitatem, albedinem. Probatur ſecundò ratione quia quoties materia viſcoſa permanet diù in aliquo cauo corporis, vt articulorum, renum, &c. & non à virtute expultrice detruditur præ caliditate exſiccatur, exſiccata autem creſcit parua lanugo, deinde quod accedit arenoſum adiungitur cum pituita, vnde calculus, ita Hippocrates 4. de morbis, vt ſequenti capiti dicemus; quod autem hoc ſit verum, vt veriſſimum patet, quia ſol diù reſpiciens lutum aqueum præ ſua caliditate exſiccat, exſiccatum conuertit in terream ſubſtantiam, pari ratione accidit renibus, etenim ſi longo tempore materia pituitoſa maneat in cauitate renum præ imbecillitate virtutis expultricis non expellentis eam, eſt in cauſa, vt illorum caliditas ſiue adſcititia, ſiue innata conuertat eos humores in lanuginem, deinde aliquid arenoſum, & tandem in calculum. Ergo datur calculus, quod erat probandum, & verè eſt.

C A-

CAPVT TERTIVM.

Vt generetur Calculus.

Modus generationis lapidis in renum cauitate, atque veſica diligentiſſime fuit deſcriptus ab Hippocrate 4. de morbis, docente, calculum fieri eo modo quo in aqua minimè pura in calice, vel vaſe æneo agitata, & depoſita confeſtum in medio ſedimentum conſiſtit, ad eumdem modum in renum cauitate (nam ibi ſermo eſt de calculo veſicæ, quorum eſt eadem ratio) contingit cum vrina impura exiſtit, neque emittitur, nimirum cum cauo contineatur, & maximè coaceruata præ dolore per mictionem non redditur, & à pituita cruda concreſcit, pituita enim ſedimento permixta glutinum euadit, ac primum parua lanugo accreſcit, deinde quod accedit arenoſum adiungitur, & peracta comparatione ſequitur, dicendo; Rurſus autem ſedimentum ſolidum, aut lapidoſum

Vt generetur calculus.

ſum

ſum efficitur, non ſecus ac ferrum ex lapidibus, & terra ſimul aduſta fit, ac primo quidem in igneam iniectionem ad ferri recrementum lapides, & terra inter ſe glutinantur, ſed vbi ſecundò, ac tertiò in ignem coniecta fuerint, reciementum quidem liquatum ex ferro foras prodit, idque fieri oculis cernitur, ferrum autem in igne remanet, & cedente recremento ſubſidet ſolidumque, ac denſum redditur, & hoc modo ſe habet ſedimentum in veſica, & renum cauitate dum pituitæ glutinum accedit, id quod ab vrina liquatum eſt cum ea excernitur, ipſum verò ſedimentum ſubſidet condenſatur, & ſolideſcit, veluti ferrum, vt deinceps latius ſequitur, quod etiam comprobatum habetur de aere locis, & aquis; optima igitur ratione Auicenna admonuit loco nuper citato cap. 16. cum ſedimen arenoſum in lotio reſidet tunc lapidem non generari; atque coaceruari ſignum clariſſimum eſſe, (nam ex retentione, & cumulo aggregato plurium arenularum oritur obſtructio, agglutinatio, &c.) è con-

contra cum ſanguis ipſe, qui in renes deriuatur craſſior, ac pituitoſior ſe ipſo exiſtens, ſeu etiam ad atram bilem vergens, per venas, & arterias in renum ſubſtantiam ſiue cauitatem feratur, quantitate vel qualitate, aut conſiſtentia excedens, aſtringitur detentuſque concipit caliditatem præter naturam, quæ amplius eum condenſat agglutinat, & aſſat, aſſatumque ipſum in terram, & lapidem commutat; hoc enim modo lapides fieri in renibus clarum eſt, quoniam omnis ſuccus tenax, & craſſus diù in aliquo loco manens, aſſatur in illo, & exſiccatur; atque ſi à virtute expultrice in dies ſingulos non expellatur, arenarum cumulus fieri ſolet, quo cumulo optimè agglutinato, conuertitur in naturam lapidis, vt dictum eſt capiti ſuperiori, plura de his habet Galenus de dignotione, medicatione renum, cap. 2.

CA-

CAPVT QVARTVM.

Vbi generetur calculus, quem non ſolum in renibus, verùm etiam in alijs partibus corporis generari dicimus.

ERat alterum quæſitum, nimirum, quibus in locis corporis vniuerſi calculus generari poſſit. Certum quidem eſt ex ſupra latis auctoritatibus, & rationibus calculum fieri in renum cauitate, & veſica, ſed non his tantum, verum & alijs partibus corporis non eſt quis dubitet, doctrinæ igitur, & ſcientiæ gratia nobis liceat aliquas calculorum renum, & aliarum partium obſeruationes tum alienas, tum noſtras referre.

OBSER-

OBSERVATIONES Calculorum Renum,

Ex Felice Platero de Obſeruationibus proprijs.

APriolus Concionator Milhauſanus calculos bismille, & plures mingendo paucorum annorum ſpatio reddidit, quos ſingulos ſeparatim in carta inuolutos dierum numero adſcripto mihi, multisq; alijs oſtendit. Huic compluꝛes calculi maiores à renibus deſcendentes in veſica ſubſidentes, lythotomia extracti eſſent poſt quam ſemel ſanatus; rurſus idem pateretur ſectione facta obdormuit. Obſeruationes lapidis renum.

Romana Obſeruatio lapidis reperti in ſiniſtro renum Innocentij Card. Bubali.

SIngulare, & mirabile profecto Illuſtriſſimi Cardinalis Bubali adfuit

exemplum annis præteritis, quod in eius corporis ſectione oculata fide ex Anathome patefactum eſt; quippe qui in longa annorum ſerie, bis, aut ſemel tantum doloribus correptus fuerit; de quibus dubitatum fuit, an eſſent nephritici, vel colici (quod euentus oſtendit, nam ex alia cauſa perijt) ac poſtmodum ab interitu tot vitia renum reperta fuerint, vtique ambo in ſubſtantia, & colore valde erant mutati, ſiniſter duos in mole æquabat renes, & lapidem ad formam oui gallinacei dextro rene maiorem continebat; qui colore erat luteo duritie ſilicea multis tuberculis exaſperatus, huic plurimi adhærebant longe maiores lapilli ex quibus maiuſculi ſeptem diù fuere ſeruati. In dextro rene ſabuloſa multa qualia quæ in matula quotidie apparebant vrinis ſubſidentia; quamobrem non videatur mirum ſi Illuſtriſſimo illud deteſtabile vitium deiectæ appetentiæ tanta vi ortum fuerit, vt etiam à nuncijs epularum, ac miniſtris abhorreret: inappetentia enim eſt ſignum in-

inſeparabile, ac potentiſſimum ſine quo lapis eſſe non poteſt, vt Tertio Libro erit diſputatio. In cuius corporis diſſectione interfuere præclariſſimi rei medicæ viri Marſilius Cagnatus, & Fortunius Natius, Petrus Gallus Chyrurgus, & alij plurimi ex aula familiares.

Obſeruatio lapidis renum: Ex Euſtachio in annotationibus Pini, ad cap. 44. libri ſui de Renibus.

ADmirabile naturæ miraculum, ſilentio minimè prætereundum in cadauere, venerabilis Generalis Carmelitarum inuentum nobis videre obtigit. Cuius alter renis lapidem inſignis magnitudinis continebat; qui ab amplo caudice principium ſumens, in octo ramos, iuxta canaliculorum vaſis vrinarij formam, atque numerum, diuiſus coralli truncum, & ſurculos elegantiſſimè emularetur, ac præterea renis caro valde contracta, & imminuta, ita firmiter huic lapidi vndique adhærebat, vt depoſi-

Ex Obſeruationibus Auctoris de lapillo renum eiecto ob exhibitionem Electuarij Iuſtini, Ianuarij MDCXVII. Romæ.

DVobus ab hinc annis accitus fui ad curationem perilluſtris, ac Nobiliſſimi viri D. Ioannis Baptiſtæ de Aſte, qui ſpatio quindecim dierum ante, à præſtantiſſimis vrbis Medicis curatus fuerat ob nephriticos dolores, ex quorum præſidijs (vt infortunium aliquoties medicorum eſt) aut parum, aut nullum adiuuaminis perceperat, cum ſæuiſſimæ adhuc querelæ perſeuerarent, Dei, poſtmodum auxilio, & ex noſtra exhibitione electuarij Iuſtini ad quatuor vices, vigeſima quarta die à decubitu dolorum ipſe calculum eiecit ad magnitudinem ſemis faſeoli liber[illegible] ſuperſt[illegible] priori ſan[illegible]

Digitized by Google

Non lapides ſolum verum generantur vermes in renibus, vt ex Gentilis Comm. ad lib. 3. fen. 1. tract. 6. cap. 10. Auic. habetur.

VIdi nobilem Peruſinum nomine Guidarolum de Ballionibus, qui paſſus eſt quotidianam, cum renum dolore per octo menſes, & in conualeſcentia emiſit cum vrina vermes paruos, & latos, & ceſſauit dolor.

Obſeruatio caruncularum, quę à renibus profluunt: Ex Hierem. Brachelio ad Comm. Aphor. 26. 4. part.

CArunculas [illegible]
veras qu[illegible]
licèt Galen[illegible] vi-
diſſe neget[illegible] ulæ
cum vrina [illegible]
poſſunt [illegible] eſt.
fecti[illegible] r in
[illegible] æ pro-
[illegible] ctæ

uectæ, traxit autem ſatis diù malum verum tandem mortua eſt; quoniam ſignum clarum eſt renes eſſe vlceratos, & ſic renum particulæ redduntur, vt in polmonarijs tabidis contingit.

Obſeruatio capillorum, qui à renibus influunt: Ex Actuario lib. 1. cap. 21. de cauſis vrinarum.

QVæ ſimilia ſunt capillis, in ijs vaſis quæ à renibus ad veſicam deſcendunt generantur. Atque quanta eſt longitudo vaſorum internorum, tanta generatur humoris compactiō, & aſſatio; atque illa veluti capilli ſimiliter extenduntur. Proinde cùm ſæpius hæc ſpectauerim in aliquorum vrinis, nec quicquàm aberraui à iudicio, & prævidentia, dicens illos male habere ex renibus, & illi veluti conuicti confeſſi ſunt paſſionem, atque confidentes, curationem mihi crediderunt.

Obſeruatio exſiccatorum renum propter calculum: Ex Euſtarbio cap. 45. lib. de Renibus.

MAximè imminutos, exſiccatos, obſcuros, & vndiquaque tuberculis plenos renes conſpexi, in Marco Vigerio viro clariſſimo Epiſcopo Senogalienſi, ex Ruueria familia Illuſtriſſima orto, qui propter calculum retenta vrina perijt, quamuis non ſine magna admiratione Medicorum, nullo fuiſſet, quamdiù ægrotauerat dolore affectus.

Obſeruatio vndecim Medicorum, qui mortui ſunt vrinæ fluxu ob calculum, & alias cauſas: Ex Cardano lib. 1. de ſanitate tuenda, c. 20.

MEdiolani vidi vndecim Medicos, perpetuò curſu vrinæ morbo vitam finiſſe, quidam ardore, quidam fluxu, quidam retentione, quidam lapillo renum, inde coorto vrinæ profluuio in-

terierunt: nam aſſidua equitatio per ciuitatem inæqualem, frequenſque aſcenſus, & deſcenſus huius morbi cauſa erat.

Obſeruatio Auctoris Veliternæ: De ſanguinis mictu propter calculum ſeparatum à renibus.

VElitræ antiqua, popularis, & ſatis clara ciuitas patria mea eſt, vbi primum rei medicæ ibi operam dabam, curaui virum quemdam quinquagenarium Iacobum vocatum, qui propter calculum non leuem defoſſum à renibus, incidit in ſanguinis mictum, adeò vt vnica vice tantam copiam eiecerit, vt aſcenderet ad binas libras, ſola quiete, & ſanguinis reuulſione leui à brachijs, verum per repetitas vices, iuxta Almanſoris præceptum de mictu ſanguinis, ſanatus eſt anno Domini 1609.

Ob-

Obſeruationes Romanæ virorum, qui calculis, & lapillis multis in ſuæ vitæ decurſu laborarunt, eorumq. aliquos emiſerunt abſque dolore, vel leuiſſimo.

VIr ille illuſtris, inſignis, clariſſimus, & fide maximè dignus D. Proſper Farinacius mihi multoties retulit ſe lapillos eieciſſe ad magnitudinem fabæ, & faſeoli cum leuiſſimo dolore, adfuit, & alter vir etiam illuſtris, & inſignis D. Natales Rondeninus, qui calculos pluribus vicibus emiſit ſine dolore ſe ita iactantè abſque vllo alio adiuuamine. Adſunt & alij plurimi, quorum obſeruationes apud omnes in arte peritos in diem euenire poſſunt. Ratio enim eſt quia temporis lapſu vreteres meatus ſunt vaſa maximè apta ad dilatationem, & conſtrictionem, cumq. affectus eſt diuturnus valde diſtenduntur adeò vt aſcendere poſſint ad latitudinem vnius magni digiti, iuxta illud Fernelij loco ſuperius citato.

VARIAE OBSERVATIONES Calculorum aliarum partium corporis.

Obſeruatio. ex Hippocrate 5. de Morbis vulgarium: De vteri lapide.

Obſeruationes calculorũ aliarũ partium.

LAriſſę dyſeridis ancilla iuuẽcula, cũ Venere vteretur vehemẽter affligebatur doloribus, aliàs verò dolorem non ſentiebat, neque cõcepit vnquã. At cum annum ſexageſimum attigiſſet, poſt meridiem vehementibus velut partus doloribus conflictabatur; poſt multum verò ante meridiem porri eſum, vbi dolore correpta eſt omnium, qui antea tenuerunt vehementiſſimo, exurgens aſperum quiddam in ore vteri contrectauit; deinde cum iam animo linqueretur ab alia muliere manu immiſſa expreſſus eſt calculus aſper, fuſi verticillum propemodum æquans, ac tunc ſtatim ſanitati reſtituta eſt.

Ex

Ex Obſeruationibus Auctoris Romæ:
Vteri lapis.

NOſtris etiam temporibus vidimus eueniſſe vteri calculum, vt mihi contigit videre in curatione cuiuſdam vetulæ habitantis prope Marcelli Theatrum, quæ cum ſeptem annis frequenter laboraſſet vterinis querelis, vt referebat, tandem cũ ad manus meas deueniſſet pro reſtauratione priſtinæ ſanitatis multa adhibuimus: attamen nil adiuuaminis percipiebat; ſed cum ſemel pro ſuo fortunio fotus anodinos ad dolores expellendos mulierculæ patrarent; ex vtero natura morborum expultrix, foras emiſit calculum ſpongioſum, ad magnitudinem caſtaneæ, quem ego vidi, & diù domi ſeruaui, doloribus liberata eſt Romæ 1611. Iulij.

Ex

exemplum annis præteritis, quod in eius corporis ſectione oculata fide ex Anathome patefactum eſt; quippe qui in longa annorum ſerie, bis, aut ſemel tantum doloribus correptus fuerit; de quibus dubitatum fuit, an eſſent nephritici, vel colici (quod euentus oſtendit, nam ex alia cauſa perijt) ac poſtmodum ab interitu tot vitia renum reperta fuerint, vtique ambo in ſubſtantia, & colore valde erant mutati, ſiniſter duos in mole æquabat renes, & lapidem ad formam oui gallinacei dextro rene maiorem continebat; qui colore erat luteo duritie ſilicea multis tuberculis exaſperatus, huic plurimi adhærebant longe maiores lapilli ex quibus maiuſculi ſeptem diù fuere ſeruati. In dextro rene ſabuloſa multa qualia quæ in matula quotidie apparebant vrinis ſubſidentia; quamobrem non videatur mirum ſi Illuſtriſſimo illud deteſtabile vitium deiectæ appetentiæ tanta vi ortum fuerit, vt etiam à nuncijs epularum, ac miniſtris abhorreret: inappetentia enim eſt ſignum in-

inſeparabile, ac potentiſſimum ſine quo lapis eſſe non poteſt, vt Tertio Libro erit diſputatio. In cuius corporis diſſectione interfuere præclariſſimi rei medicæ viri Marſilius Gagnatus, & Fortunius Natius, Petrus Gallus Chyrurgus, & alij plurimi ex aula familiares.

Obſeruatio lapidis renum: Ex Euſtachio in annotationibus Pini, ad cap. 44. libri ſui de Renibus.

ADmirabile naturæ miraculum, ſilentio minimè prætereundum in cadauere, venerabilis Generalis Carmelitarum inuentum nobis videre obtigit. Cuius alter renis lapidem inſignis magnitudinis continebat; qui ab amplo caudice principium ſumens, in octo ramos, iuxta canaliculorum vaſis vrinarij formam, atque numerum, diuiſus coralli truncum, & ſurculos elegantiſſimè emularetur, ac præterea renis caro valde contracta, & imminuta, ita firmiter huic lapidi vndique adhærebat, vt depoſi-

ta propria figura, quaſi craſſa quædam cutis ei obduceretur.

Ex Obſeruationibus Auctoris de lapillo renum eiecto ob exhibitionem Electuarij Iuſtini, Ianuarij MDCXVII. Romæ.

DVobus ab hinc annis accitus fui ad curationem perilluſtris, ac Nobiliſſimi viri D. Ioannis Baptiſtæ de Aſte, qui ſpatio quindecim dierum ante, à præſtantiſſimis vrbis Medicis curatus fuerat ob nephriticos dolores, ex quorum præſidijs (vt infortunium aliquoties medicorum eſt) aut parum, aut nullum adiuuaminis perceperat, cum ſæuiſſimæ adhuc querelæ perſeuerarent, Dei, poſtmodum auxilio, & ex noſtra exhibitione electuarij Iuſtini ad quatuor vices, vigeſima quarta die à decubitu dolorum ipſe calculum eiecit ad magnitudinem ſemis faſeoli liberatus, & ſuperſtes eſt priori ſanitate meliori fruens.

Non

Non lapides ſolum verum generantur vermes in renibus, vt ex Gentilis Comm. ad lib. 3. fen. 18. tract. 6. cap. 10. Auic. habetur.

VIdi nobilem Peruſinum nomine Guidarolum de Ballionibus, qui paſſus eſt quotidianam, cum renum dolore per octo menſes, & in conualeſcentia emiſit cum vrina vermes paruos, & latos, & ceſſauit dolor.

Obſeruatio caruncularum, quę à renibus profluunt: Ex Hierem. Brachelio ad Comm. Aphor. 26. 4. part.

CArunculas appellat Hippocrates veras quidem carnes, ſed exiguas (licèt Galenus in Aphoriſmis id ſe vidiſſe neget) ac quod veræ carunculæ cum vrina nuſquam aliunde decedere poſſunt, quam ex renibus certum eſt. Affectio nobis ſemel viſa Niuellæ in quadam muliere, ætatis vtrumque pro-

uectæ, traxit autem ſatis diù malum verum tandem mortua eſt; quoniam ſignum datum eſt renes eſſe vlceratos, & ſic renum particulæ redduntur, vt in polmonarijs tabidis contingit.

Obſeruatio capillorum, qui à renibus fluunt. Ex Actuario lib. 1. cap. 21. de cauſis vrinarum.

QVæ ſimilia ſunt capillis, in ijs vaſis quæ à renibus ad veſicam deſcendunt generantur. Atque quanta eſt longitudo vaſorum internorum, tanta generatur humoris compactio, & aſſatio; atque illa veluti capilli ſimiliter extenduntur. Proinde cùm ſæpius hæc ſpectauerim in aliquorum vrinis, nec quicquam aberraui à iudicio, & præuidentia, dicens illos male habere ex renibus, & illi veluti conuicti confeſſi ſunt paſſionem, atque confidentes, curationem mihi crediderunt.

Obſeruatio exſiccatorum renum propter calculum: Ex Euſtarbio cap. 45. lib. de Renibus.

MAximè imminutos, exſiccatos, obſcuros, & vndiquaque tuberculis plenos renes conſpexi, in Marco Vigerio viro clariſſimo Epiſcopo Senogalienſi, ex Ruueria familia Illuſtriſſima orto, qui propter calculum retenta vrina perijt, quamuis non ſine magna admiratione Medicorum, nullo fuiſſet, quamdiù ægrotauerat dolore affectus.

Obſeruatio vndecim Medicorum, qui mortui ſunt vrinæ fluxu ob calculum, & alias cauſas: Ex Cardano lib. 1. de ſanitate tuenda, c. 20.

MEdiolani vidi vndecim Medicos, perpetuò curſu vrinæ morbo vitam finiſſe, quidam ardore, quidam fluxu, quidam retentione, quidam lapillo renum, inde coorto vrinæ profluuio in-

citerierunt: nam aſſidua equitatio per ciuitatem inæqualem, frequenſque aſcenſus, & deſcenſus huius morbi cauſa erat.

Obſeruatio Auctoris Veliternæ: De ſanguinis mictu propter calculum ſeparatum à renibus.

Velitræ antiqua, popularis, & ſatis clara ciuitas patria mea eſt, vbi primum rei medicæ ibi operam dabam, curaui virum quemdam quinquagenarium Iacobum vocatum, qui propter calculum non leuem defoſſum à renibus, incidit in ſanguinis mictum, adeò vt vnica vice tantam copiam eiecerit, vt aſcenderet ad binas libras, ſola quiete, & ſanguinis reuulſione leui à brachijs, verum per repetitas vices, iuxta Almanſoris præceptum de mictu ſanguinis, ſanatus eſt anno Domini 1609.

Obſeruationes Romanæ virorum, qui calculis, & lapillis multis in ſua vita decurſu laborarunt, eorumq. aliquos emiſerunt abſque dolore, vel leuiſſimo.

VIr ille illuſtris, inſignis, clariſſimus, & fide maximè dignus D. Proſper Farinacius mihi multoties retulit ſe lapillos eieciſſe ad magnitudinem fabæ, & faſeoli cum leuiſſimo dolore, adfuit, & alter vir etiam illuſtris, & inſignis D. Natales Rondeninus, qui calculos pluribus vicibus emiſit ſine dolore ſe ita iactantè abſque vllo alio adiuuamine. Adſunt & alij plurimi, quorum obſeruationes apud omnes in arte peritos in diem euenire poſſunt. Ratio enim eſt quia temporis lapſu vreteres meatus ſunt vaſa maximè apta ad dilatationem, & conſtrictionem, cumq. affectus eſt diuturnus valde diſtenduntur adeò vt aſcendere poſſint ad latitudinem vnius magni digiti, iuxta illud Fernelij loco ſuperius citato.

VARIAE OBSERVATIONES Calculorum aliarum partium corporis.

Obſeruatio. ex Hippocrate 5. de Morbis vulgarium: De vteri lapide.

Obſeruationes calculorũ aliarũ partium.

LAriſſę dyſeridis ancilla iuuecula, cũ Venere vteretur vehemẽter affligebatur doloribus, aliàs verò dolorem non ſentiebat, neque cõcepit vnquã. At cum annum ſexageſimum attigiſſet, poſt meridiem vehementibus velut partus doloribus conflictabatur; poſt multum verò ante meridiem porri eſum, vbi dolore correpta eſt omnium, qui antea tenuerunt vehementiſſimo, exurgens aſperum quiddam in ore vteri contrectauit; deinde cum iam animo linqueretur ab alia muliere manu immiſſa expreſſus eſt calculus aſper, fuſi verticillum propemodum æquans, ac tunc ſtatim ſanitati reſtituta eſt.

Ex

Ex Obſeruationibus Auctoris Romæ: Vteri lapis.

NOſtris etiam temporibus vidimus eueniſſe vteri calculum, vt mihi contigit videre in curatione cuiuſdam vetulæ habitantis prope Marcelli Theatrum, quæ cum ſeptem annis frequenter laboraſſet vterinis querelis, vt referebat, tandem cũ ad manus meas deueniſſet pro reſtauratione priſtinæ ſanitatis multa adhibuimus: attamen nil adiuuaminis percipiebat; ſed cum ſemel pro ſuo fortunio fotus anodinos ad dolores expellendos mulierculæ patrarent; ex vtero natura morborum expultrix, foras emiſit calculum ſpongioſum, ad magnitudinem caſtaneæ, quem ego vidi, & diù domi ſeruaui, doloribus liberata eſt Romæ 1611. Iulij.

Ex Ariſtotele obſeruatio calculorum, qui in veſica generantur, de Hiſt. Animal. lib. 3. cap. 15.

NOn omnibus data veſica eſt, ſed ijs tantum, quæ animal gignunt, ouipari autem generis nulli præter teſtudinem data eſt, defunctis nihil humoris in veſicam tranſmittitur: At viuis non ſolum humor, ſed etiam ſicca quædam concrementa deſcendunt, ex quibus calculi conficiuntur. Iam nonnullis talia in veſica conſtiterunt, quæ nihilo differre à conchylijs videntur.

Lapidei, & gypſei tumores in meſenterio cuiuſdam latronis ſuſpenſi, & diſſecti.

NOn ſecus hercule, ac in fertilis gallinæ vtero ouorum gradata multitudo in latronis meſenterio (quam vulgares noſtri ouarolam vocant) tumorum inuenta fuit; ſed ne in hoc quidem ſo-

lum-

ſummodo aſtantium, noſtraq. admiratio fuit: verùm & ſingulis tumoribus diſſectis quaſi ſtrepitus admirantium effectus eſt; cum nonnulli lapideum gypſum, nonnulli verò glutinoſam, mucroſamq. & interea liquidam quandam ſubſtantiam ſub ea membranula continerent: Ioannes Phil. Ingraſſias tract. 1. cap. 1. de tumoribus præter naturam.

Romana obſeruatio lapidis veſicæ, Alphonſi Carrigliæ Aſſiſtentis Hiſpaniarum in Societate IESV, anno D. 1618. Octobris.

PErlegite quæſo lectores, rei medicæ raram obſeruationem lapidis veſicæ paucis diebus confetti Fernelianæ ſententiæ, & Hippocraticæ in coacis oppoſitam. Hic enim admodum Reuerendus Pater in toto ſuæ vitæ decurſu numquam paſſus eſt nephriticos dolores, non lotij ſtillicidio, neque alio ſigno tum renum, tum veſicæ affectæ laborauit, niſi ſexageſimo ſecundo anno ſuæ ætatis, in-

cepit

cepit vexari ingenti lotij ardore, ſtillicidio, mucum quotidianum, lotijs ſubſidentia puris inſtar cum ſabulo reddebat, quæ ſymptomata ſingulis menſibus periodum trium dierum ſeruabant: Anno tandem ſexageſimo quinto ſuæ vitæ curriculi diſceſſit; in cuius corporis ſectione inuentus fuit lapis veſicæ, ad magnitudinem oui anſeris depreſſi; renes verò vlcerati, & ſanie pleni, veſica verò maximè contracta.

Lapidis in liene obſeruatio: Ex Turneiſſero in examin. vrinarum.

LApidem in liene nobilis, & generoſæ feminæ Chriſtianæ Verin reperi caſtaneæ magnitudine, ſubalbidum alabaſtri mollitie, pondere vnciarum duarum ſemis,& drachmæ vnius, laminis ouorum putaminibus inuicem cruſtatim inuolutus ſimilibus concretum erat, hæc femina iuuenis formoſa, quæ ſubinde plenilunij tempore grauiſſime ex ſiniſtro latere ad triduum vſque affligebatur;

quo

quo exacto dolor eovſque remittebat, donec nouum plenilunij punctum inſtaret.

Lapides in pulmone: Ex Foreſto Scholion 14. ad Obſeruat. 26.

VIrum Brielenſem tabe affectum curauimus, & tuſſi valida in cura habuimus, qui calculos gypſeos (qui intra digitorum articulos chiragra labo- borantibus accreſcere ex pituita ſolent) reiecit, quamuis & hic tabe conſumatus obierit.

Poſſe generari arenas multas, & calculos in inteſtinis, Obſeruatio Romana Auctoris.

MOnſtruoſum mihi contingit videre Romæ 1614. curanti piſtorem ſatis aduſtum, qui cum ſæpe ſæpius colico dolore affligeretur, ſemel cum multa ore aſſumpta experti eſſemus, mul ta quoque per aluum enematibus eſſent in-

iniecta; attamen nil deijciebat neque inferne, neque ſuperne: patrato balneo aquæ dulcis multa emiſit per alui ſeceſſum,& inter alia,manipulum arenæ,cum nonnullis lapillis ad magnitudinem grani frumentacei, illa affectione tunc temporis liberatus eſt piſtor.

Romana Obſeruatio lapillorum in ciſta fellea Illuſtriſſimi Cardinalis Pinelli.

AVdiuimus, memorante Marſilio Cagnato viro veraciſſimo in corporis diſſectione Illuſtriſsimi Cardinalis Pinelli fuiſſe repertam ciſtam fellis plenam lapillis, cuius ſymptomatis præclariſſimè mentionem fecit vir ille celeberrimus Fernelius libro ſexto de partium morbis, & ſymptomatis capite quinto.

Ex

Ex Cardano de cauſis, ſignis, ac locis morborum part. 3. num. 100. Obſeruatio vergentis veſicæ fellis ad lapidem.

VIdi Nobilem Bononienſem de Bobijs cuius veſica fellis adeò tumida erat, vt lapidi rotundo in acutum velut piro pendenti aſſimilaretur.

Ex Peucero de Præſtigionib. Medicorum pag. 310. Obſeruatio lapidis in ciſtâ fellis, & rene.

VIdimus lapides duos, Duci Federico Saxoniæ electori poſt mortem exectos, quorum vnus porraceo colore quantitate vnius articuli in veſica fellis latuerat. Alter duorum digiti articulorum magnitudine, coloris ſubrutili in rene dextero.

Admirabilis obſeruatio ex Schenchio lib. 2. obſer. 195. Lapillorum cordis cum difficultate lotij, & tamen renes, & veſica in corporis diſſectione integri reperti ſunt.

CVidam mulieri ſuppurata pulpa cordis, in multos dies vrina purulenta effluxit, eaque quarto menſe mortua, & diſſecta inuenti duo calculi, & abſceſſus diuiſi in corde: Hollerius com. 1. in librum 6. ſectione 2. aphor. 4. Coacis Hippocratis: eandem hiſtoriam repetit comment. in Aphoriſ. 75. lib. 4. Hippocratis his verbis: Contigit ſemel mulieri noſtræ ætatis, quæ quatuor menſes integros minxit pus, & aliquando propter puris acrimoniam ſanguinem puri commixtum. Medici conſulti adhibuerunt remedia, ac ſi renes exulcerati fuiſſent, quod in eis per interualla magnum dolorem ſentiret, mulier hæc moritur quarto menſe, diſſecta eſt, inuenti renes integri,

gri, & veſica integra, at in corde inuenti ſunt duo calculi, & abſceſſus multi, qui expurgabantur per vrinas, atque in tranſitu pus dolorem infligebat renibus, ſic ſolus ſanguis poteſt à thorace demitti ad veſicam, vt excernatur, eiuſdem hiſtoriæ meminere Scholiographi ad cap. 29. & 50. libri 1. Hollerij de morbis internis.

Ex quibus Hiſtorijs colligimus non ſolum poſſe calculum generari in cauitate renum, & veſica quod ſæpe fit, verum in alijs partibus corporis, vt puta articulis, inteſtinis, & alijs locis in quibus non expellitur à virtute expultrice craſſus, terreuſque humor; qui pro ignea, ſiue renum, ſiue veſicæ, vel aliarum partium caliditate exſiccatur, exſiccatus conuertitur in pilos, lanuginem inde arenulæ, & calculus coaceruantur.

CAPVT QVINTVM.

Quid ſit calculus, & in quo genere morborum, & ſymptomatum ponatur.

Quid ſit calculus.

VLtimo loco quæſitum fuit quid eſſet calculus: præpoſitio enim (quid ſit) eſt præcognitio vocata ab Ariſtotele in libris Poſteriorum quid nominis, ideſt quid res ſignificet, videndum analitice quid ſignificet calculus, quid ipſe ſit, & in quo genere morborum, & ſymptomatum ponatur. Calculus à Græcis vocatus λιθίασις, id eſt quædam lapillorum coaceruatio, ex qua lapidatione fit obſtructio. Etenim eſt quædam ſubſtantia dura toto genere præter naturam, genita in renum cauitate, vel maſſa ipſorum: vnde lotij impetu ſæpe per anguſtos vreteres, in veſicam lapilli deferuntur, maximo cum cruciatu meatus vrinarios dilatando, quæ ſubſtantia ſymptoma eſt noxæ actionis na-

turalis, facultatis expultricis renum, faciens dolorem in genere retentorum præter naturam, quod ſequitur morbum in cauitate, & via, vbi eſt mala compoſitio, ſymptoma enim ſequitur morbum tamquam vmbra corpus, vt bene alias notauit Galenus.

Calculus eſt ſymptoma ſequẽs morbũ in cauitate, & via.

COLLECTIO SECVNDA,

De cauſis calculi in vniuerſum. Ex quibus dolor.

CAPVT PRIMVM

Ad quod genus excrementorum retentorum præter naturam calculus reducatur.

POSTREMO dicebamus calculum eſſe ſymptoma in genere retentorum excrementorum præter naturam, ideò prius quàm peculiares cauſas calculi aggrediamur, aliqua ſunt dicenda in vniuerſali, de excrementorum cauſis præter naturam, quæ clariorem reddent doctrinam, tum cauſarum, tum etiam retentorum præter naturam pro noſtro affectu.

Quæ ab humano corpore excernuntur

tur ſi peccant, & detineantur præter naturam eorum tres aſſignari ſolent differentiæ: Prima eſt in tota ſubſtantia, vt muliebris fluxus. Secunda quantitate & qualitate, tunc verò fit cum ſudor, ſiue vrina, ſiue alui deiectio diminuta ſunt. Tertia in qualitate ſolum, vt puta in hiſteritia, quę excreta retenta, & ſuperflua habent peculiares, & vniuerſales cauſas, (minimè enim abſurdum eſt plures cauſas vnius morbi eſſe cauſas, teſte Galeno de Symptomatum differentijs, cap. vlt. & ad Glauconem cap. 14.) Quamobrem cum certum ſit affectum cuius gratia hæc dicuntur eſſe in genere retentorum præter naturam, in quod autem reducatur, reuocatur in dubium? enim verò non reduci ad illud quod tota ſubſtantia peccat, neque quod ſolum qualitate, pro certo habemus, ergo reduci ad genus quantitatis, & qualitatis ſimul, excrementa etenim retenta peccantia in quantitate, & qualitate oriri, vel propter virtutem læſam aliquo modo, vel vitioſum motum excitantem intempeſtiuam vexationem,

Plures cauſæ vnius morbi poſſunt eſſe cauſæ.

Ad quod genus excrementorum reducatur calculus.

vel propter inſtrumentum aliquod ruptum, ſiue roſum, comprobatum habemus ex Galeno 3. de cauſis ſymptomatum cap. 2. at ſi ea ſunt peccantia quantitate, & qualitate in retentis quoties virtus aliqua in quauis parte corporis læſa eſt, non eſt dubium in laborantibus calculo læſam eſſe facultatem expultricem, teſte Auicenna loco præcitato hæc referente. Retentor materiei eſt debilitas expulſiuæ in renibus, ergo reducitur ad genus quantitatis, & qualitatis, non tota ſubſtantia, quia ſemper aliqua per lotium emittũtur; probatur vlterius quia peccantia in qualitate ſunt ea, quæ peccant in colore, ſed lotium calculoſis eſt ſubtilius,& diuerſum à ſtatu naturali igitur in qualitate. Quod peccet in quantitate patet, ſolet enim ratione ſuperfluitatum, & arenularum aliquando lotium retineri, vel multum emitti cum arenulis,& ſuperfluitatibus; idcircò cum ſupra dictum ſit eſſe ſymptoma reducendum eſt ad retentum præter naturam faciens dolorem in quantitate, & qualitate; ſed

cum

cum hæc quantitas, & qualitas retentorum oriatur ratione materiei, remanet videndum, quæ ſit faciens hoc retentum, quæ calculoſæ affectionis cauſa erit.

CAPVT SECVNDVM.

De cauſis calculi.

TAnta præſtantia, atque ingenio ſcriptum fuit ab Ariſtotele 2. Phiſicorum, & alibi ſuis in operibus de quatuor generibus cauſarum, vt nil prorſus à nemine addi poſſit, vt puta de materiali, formali, efficiente, & finali; quando verò Medici de morborum cauſis loquuntur efficientes primario ſemper intelligunt, illæ enim corpus humanum mutāt, quod eſt reī medicæ cauſa materialis, cui eſt etiam annexa formalis, quæ dicta cōtinens dat eſſe morbis, finis verò non ſemper à Medico eſt intentus, cum aliquando neceſſe ſit morbum excitare, vt deterior fortaſſe ſanetur; enim verò cognita cauſa ſecuriſſimus appellatur mor-

bus

bus ab Hippocrate de natura humana, quia non ſemper eſt nota, vt docet libello de alimento ; morbificæ ergo cauſæ erunt affectus quidam præter naturam morbum præcedentem, eumdemque efficientem, & de his medica eſt conſideratio. Cauſæ igitur calculum,& renum querimonias facientes ſunt variæ, vt in alijs affectionibus;nam aliæ ſunt efficientes, aliæ materiales, aliæ formales dictæ continentes, aliæ immediatæ, aliæ mediatæ dictæ antecedentes, quæ omnes internæ cauſæ vocantur : aliæ denique externæ, enim verò omnes cauſæ morbificæ, ad duo capita primaria reducuntur vel ad internas, vel ad externas, vt teſtatus eſt Hippocrates 1. de morbis initijs, de quibus omnibus ſigillatim eſt diſſerendum, & primario de cauſis efficientibus calculi,tanquam primis motoribus internis.

Diuerſæ cauſæ calculi.

Cauſa efficiẽs calculi eſt caliditas.

Cauſa efficiens calculi nulla verior aſſignari poteſt quàm renum caliditas, teſte Auicenna hæc referente. Virtus agẽs eſt caliditas vehemens egreſſa ab æqualita-

litate, conuertens humores craſſos in lanuginem arenam, & tandem lapillos. quod idem Galenus docuit loco citato inquiens lapidem in homine frigus non parere, ſed calorem, vel vehementem, vel tepidum; vehementem in tenui materia, tepidum in craſſa; vt clarius Aetius ſermone 2. cap. 4. ex opinione Archigenis declarauit, ardorem circa renes, & veſicam exoriri, qui humores adaſſans eos cogit, & in lapidem indurat admodum toforum, qui in aquis reperiuntur, quæ in æneis præſertim balneorum vaſibus ſunt, cui opinioni inheret Paulus libro 3. cap. 45. dicens, effectricem ipſorum cauſam eſſe igneam renum, aut veſicæ caliditatem, quod denique ſequuntur neuterici omnes vtique Fernelius in ſuis rebus ſemper acutus de partium morbis, ac ſymptomatibus lib. 6. cap. 12. addendo vlterius, pro cauſa efficiente innatam conſtitutionem arenoſam renum inter affectus hereditarios; id vt crebro euenire affirmare non dubitauit, quippe qui non paucis vna cum renibus cal-

Altera Fernelij cauſa efficiẽs calculi.

calculum procreari dixerit. Cōtra quem diſputat Mercurialis in ſua Praxi. Sed aliquis poſſet obijcere cum Ariſtotele 2. de generat. tex. 8. vbi habet calidum congregare ea quæ ſunt eiuſdem generis, diſgregare ætherogenea, frigidum verò coniungit, & congregat ea quæ ſunt eiuſdem generis, & ætherogenea, ex quo ſequitur frigidum eſſe maximè aptè natum ad congregandas arenulas, lapillos, conſequenter calculum, immò eſt maior ratio frigidi, quàm calidi; ratio eſt in promptu, quia calidum vt calidum congregat ea, quæ ſunt eiuſdem rationis tantum, ſcilicet ſi fiat ab humore pituitoſo, & viſcido, eum aggregat exſiccat, conuertit in lanuginem arenulas, vt diximus; ſed frigidum non hoc ſolum facit; verùm congregat, & iungit ea quæ ſunt homogenea, & ætherogenea; cum calculus fiat, vt plurimum ex admixtione humorum diuerſorum generum, ad quos vniendos non videtur ſufficiens calidum, vt calidum; ergo frigidum, vt frigidum erit etiam cauſa efficiens calculi; quod

An frigidū ſit cauſa efficiēs calculi.

pro-

profectò argumentum non eget reſponſione, verùm explicatione, & à paritate non eſt negandum aliquando calculum generari, vt cauſa efficiente mediata à frigido, hoc videlicet modo: ſicuti enim aqua intercus, ſicca tympanias vocata aliquo modo à calida intemperie procreatur, vt vult Galen. 4. Aphoriſm. 11. nimirum quando calor naturalis, ſiue ventriculi, ſiue iecoris, vel aliarum partium naturalium fuit debilitatus, propter varios errores commiſſos in viuendi ratione, vel ob immoderatum vini potum, vel aliam quamcumque cauſam; inde verò paulatim temporis lapſu eadem partes prorſus perfrigerantur, & proprio munere non funguntur, & conſequenter ſemper ea fit ab intemperie frigida immediatè; mediatè verò à calida; neque enim mutari in aerem flatuoſum humiditas ſine aliquo calore poteſt: ſic pari ratione in calculo accidit, frigidum enim vt frigidum mediatè, & per accidens congregat homogenea, & ætherogenea, quę omnia non poſſent ſimul coagulari, &
con-

conſtringi, niſi ſicca euaderent, quod totum calore perficitur, cum ſit cauſa immediata exſiccationis conuertens ſuperfluitates in arenulas, hoc autem per ſolum frigidum aſſequi minimè poſſet. Ad illud verò quod dicebamus eſſe diuerſorum generum, ſi calculus procreetur admixtione humorum. Reſpondetur hoc non eſſe verum, quia non habentur conditiones, quæ requiruntur ab Ariſtotele humorum, vt differant inter ſe eſſentialiter, & ſint omninò diuerſę rationis, quorum diſputatio non eſt huius loci, ex quibus manifeſtè patet calorem poſſe illos diuerſos humores vnire, ſiue innatus ſit, ſiue aſcititius, qui cauſa efficiens immediata calculi eſt; At cum efficiens agat in ſubiectum in quo morbus ineſt, vt notat Galenus 2.meth.vltimo. Membra igitur corporis erunt cauſæ materiales, formales verò diſpoſitiones præter naturam, adeò vt cauſa materialis calculi erunt vreteres, veſica, renes, ſiue ipſoram cauitas, in qua coaceruatur humor terreus, & viſcidus, nam poteſt adeſſe mix-

Explicatio tex. Ariſt. pro hac methodo.

Cauſæ materialis calculi.

mixtio aliorum humorum, ſed prædominium ſemper debetur ipſi pituitæ, & intemperiei frigidæ, & humidæ, quę calculi cauſa immediata interna eſt, ita comprobant Galenus, Auicenna, Aetius, Paulus, locis citatis; Formalis quidem cauſa dicta continens, & forma, eſt ipſa calculi eſſentia, & eſſe ipſius: & hæc de immediatis cauſis. Cauſæ vero mediatæ dictæ antecedentes, fuere numeratæ ab Hippocrate tertio Aphoriſmorum trigeſimo, vbi habet morbum renalem ſenibus familiariſſimum eſſe; & quarto de morbis, pueris ratione lactis terreſtris impuri, ac pituitoſi; accedit temperamentum vniuerſi corporis humidum, ac abundantia humoris pituitoſi: rationes verò afferunt Auicenna loco citato, & Serapio Tractatu quarto, capite decimo nono, cur pueri magis, & ſenes calculo laborent; quàm aliæ ætates. Verùm omnes laborant, ſed illæ ſæpius, quoniam ſenibus virtutes renum debilitantur, & eorum digeſtiones, ac propterea magis ad-

Immediata cauſa calculi.

Cauſa formalis continens dicta.

Cauſæ antecedentes mediatæ.

Cur pueri ac ſenes calculo ſint obnoxij.

aduenire aiunt lapidem renum, quàm veſicæ: At infantibus, & eis, qui illos ſequuntur è conuerſo euenit, quippe virtus expulſiua renum fortior ſit, quæ expellit à ſuperioribus membris ad illa, quæ ſunt inferius, addendo ipſorum ingluuiem, inordinatum motum, repletionem,& cruditates omnium morborum radices. Cauſæ tandem facientes, & generantes ſæpe cauſas internas allatas ſunt externæ à Græcis vocatæ προκαταρκτικὰ, vt puta omnis vſus immoderatus ſex renum non naturalium; nam ſi rectè obſeruetur non ſolum lapides nondum creatos prohibet concreſcere, ſed iam factos confringere, vel excernere idoneus eſt. Ideò fugiendi ſunt cibi craſſi, lac terreſtre, caſeus, carnes craſſæ, & humidæ, vt bubalinæ, hircinæ, carnes auium paluſtrium, vt anatarum, ſilueſtres, vt ſuinæ; piſces frixi, panis viſcoſus, & crudus; dulcia viſcoſa, fructus crudi, & difficilis coctionis; vina rubra craſſa, aquæ turbidæ, & palu-

Cauſæ pro catarticæ calculi.

ludo-

ludoſæ, ciſternales, & craſſæ, de quibus latius infra in curatione : additur denique immoderatus vſus rerum venerearum, qui renum virtutes valde proſternit, vt docet Hippocrates de internis affectionibus. Et hæc ſatis de cauſis pro ſecunda Collectione.

Venus inimica calculo ex Hippocr.

Digitized by Google

COLLECTIO TERTIA,

De variis ſignis calculi: vt dolor nephriticus differat à colico dolore, ſiue ileo, & quas cauſas habeat.

CAPVT PRIMVM

De ſignis calculi dignoſticis.

SIGNORVM traduntur variæ differentiæ, nam alia ſunt dignoſtica, quorum alia præſentiunt futurum calculum; alia pręſentia, quæ indicant & præſentem calculum, & dolorem, alia dicuntur prognoſtica, de quibus infra in prognoſtico, alia denique dicuntur diſtinctiua, ſed primo loco venit tractandum de ſignis dignoſticis.

Signa quæ futurum calculum declarare ſolent in primis ſunt obſeruationes cauſarum; temperamentum humidum, ætas ſenilis, puerilis. Obſeruatio verò cauſarum conſiſtit in ſex rebus non naturalibus; Etenim ſi quis vtatur craſſis cibis, aquis, & vinis, & habeat temperamentum vergens ad pituitam, cum inordinata venere cæteris conſentientibus colligere poſſumus fortaſſe fore, vt longo temporis lapſu incidat in calculum, præſertim ſi accederet renum effrenata caliditas, & lotium prius mingeretur craſſum; deinde inciperet tenue fieri propter retentionem turbidi in vaſis vrinæ inſeruientibus: tunc enim incipere poſſet calculi generatio.

Signa quæ calculum prædicere ſolent.

Signa patefacientia preſentem calculum, & dolorem multa numerantur ab Auctoribus magni nominis, vt apud Hippocratem 4. illo de morbis citato hæc habentur, cum aliquis lotium reddere vult dolore afficitur, & vrina paulatim velut vrinæ ſtillicidio laborantibus effluit, hoc etenim ſignum eſt preſentis cal-

Signa calculi dignoſtica.

 culi,

culi, & doloris à calculo; ſecundo loco ait, ſi ſubcruenta, vel purulenta ſit, ſignum eſt exulcerationis, & inflammationis,ſiue renum, ſiue vaſorum lotio inſeruientium,vt idem teſtatur: Verum hoc non eſt ſignum partis affectæ, ſed affectionis quoniam & à capite,& à thorace, & cæteris partibus ſuperioribus prouenire poteſt, admonuit id Galenus in explanatione Aphoriſmi 75. 4. particulæ: verùm in aphoriſmo 76. loquitur de parte affecta, vt ex hac ſelecta ſententia intelligere eſt. Quibus cum vrina craſſa exiguæ carunculæ, aut veluti pili exeunt his à renibus excernitur, & 78. eiuſdem particulæ. Qui inopinanter ſanguinem meiunt ijs renibus venulam ruptam eſſe ſignificatur, adde arenulas emiſſas vnà cum lotio, humores craſſos, & quodammodo ſabuloſos, vt explicat Galenus in Commentario 79. eiuſdem etiam particulæ, & veſicæ malè affectæ, & renum hæc duo poſtrema ſunt ſigna, quod docuit latius idem 6. de locis affectis cap. 3. non ideò neceſſe fuit has partes calcu-

Explicatio Apho. 75.76.78.

lo ſemper laborare, quod experientiæ quotidianæ videre eſt, quoniam multi arenulas mingunt; & craſſas vrinas ſabuloſas, tamen non ſunt calculoſi.

Sed aliquis poſſet obijcere, ſemper adeſſe calculum in veſica, nam multoties exhibentur diuretica purgatis corporibus, vt dicetur 3. libro; in quorum lotio reſident arenoſa, & ſabuloſa, ſed poſt diureticorum exhibitionem multo pluris copiæ arenularum, & ſabuli, per vias lotij ducitur, quod prius non reddebatur: ergo tunc temporis dicendum eſt ſemper adeſſe calculum, vel in veſica, vel rene: verba autem Aphoriſmi 79. 4. particulæ hæc ſunt;

Ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ ψαμμώδεα ὑφίσταται, τουτέοισι ἡ κύστις λιθιᾷ.

Germana, & noua expoſitio ad prædictum Aphoriſmum 79. quartæ particulæ.

PRofectò ſententia ſatis difficilis eſt, vt intellectus acquieſcat, & capax

reddatur; enim verò neceſſe minimè eſt in omnibus, quibus ſedimen arenoſum, & ſabuloſum in lotio reſidet iis viſicam ſemper calculo laborare, cum & renes hoc etiam præſtare poſſint, vt Galenus ad Comment. habet, & idem Hippocr. alibi docuit de internis affectionibus, neque etiam hoc multoties praxi quotidianæ reſpondet, quippe ſæpiſſimè à multis lotium reddatur ſabuloſum, & arenoſum, & tamen numquam laborarunt renum calculo, neque in eorum veſicis, & renibus poſt corporum diſſectiones reperti ſunt calculi, vt latius in Prolegominibus explicatum eſt. Sententia igitur Hippocratica hoc videlicet modo erit intelligenda: Cum aliquis in dies ſingulos lotium reddit arenoſum craſſum, & quodammodo ad inſtar ſabuli: tunc ſuſpitio maxima eſt, ne in veſica adſit calculus ſi cætera ſigna correſpondeant, quæ comitari ſolent veſicæ lapides, vt ardor acutus, & dolor in mictione, prurigo, pondus, difficile poſſe ambulare, equitare, curtum aſcendere, mictio frequens,

quens, & ſubſeruenta, lotium nequit reddere ni eodem tempore reddantur excrementa, ſin minus hæc adſint ijs quibus lotium redditur ſabuloſum, vel aſſiduè arenoſum, dicendum eſt maximam intemperiem, & propenſionem renum, & veſicæ adeſſe temporis lapſu ad calculi generationem, at cum materia illa per lotium reddatur, & non retineatur, lapis conglutinari minimè poteſt, quoniam eget tempore: iuxta illud Auicen. lib. 3. citato, nimirum cùm ſedimen arenoſum in lotio reſidet tunc lapidem non generari ſignum eſſe. Quæ explicatio huius ambiguæ ſententiæ maximè comprobata videtur ab eodem Hippocrat. 4. illo de morbis nuper citato, quando recenſet veſicę calculi generationem, quo in loco non dumtaxat ad lapidis pręſentiam, & cognitionem ſufficientem eſſe inquit ſabuloſam lotij ſubſidentiam, Quæ eſt vnum ex ſignis calculi, verùm & alia inditia à nobis allata neceſſaria ſunt: eſt quidem locus luce clarior, qui huic Aphoriſmo tam difficili falces po-

Lotiũ arenoſum, & ſabuloſum tẽpore, lapidẽ præſeferre poteſt.

Lotiũ ſabuloſũ eſt vnũ ex ſignis calculi.

nit ad radices. Ad illud verò quod obijciebatur, quibus diuretica exhibentur, ea ducere maiorem copiam arenularum per lotium quàm antea reddebatur, id verò veriſſimum eſt (licet non vniuerſale, & neceſſariũ ſit). Ergo ſemper erit tunc affirmandum adeſſe calculum, qui paulatim vi diureticorum frangatur, ſiue in veſica ſit, ſiue rene, vt explicat Galenus. Cui obiectioni duplici modo poteſt tradi abſolutiſſima reſponſio; vt puta facultatem diureticorum ſemper eſſe ducere per vias lotij (ſi credendum eſt rei medicæ) ſiue materierum ibi retentarum, ſiue illarum, quæ ducuntur ad ea vaſa lotium cientibus, non tamen neceſſum eſt, ſi arenulæ maiori copia ducantur, vel à renibus, vel à veſica per lotium vi diuretica adeſſe ſemper calculum, quippe cum lotium cientia ducant ad vrinæ vias vt ad cloacas, faciſſime quidquid ducitur, ab ingenti calore non naturali renum intemperatorum, vel veſicæ poterit exſiccari, & conuerti in lanuginem, atque arenam, quæ actio fit de

repen-

Digitized by Google

repente; (calculus verò fit in tempore) quemadmodum in excrementis oculorum fieri cernitur, & ad ſenſum apparet, mane enim in quibuſdã reperitur quoddam excrementum arenoſum ſordium in angulis, & palpebris oculorum, quod paucis horis vi mordaci caloris, vel frigore ambiente (vt patet in luto) redactum fuit ad formam arenoſam, & compactam materiam; pari ratione accidere poſſe renibus fas eſt dicere, enim verò ſi maior copia excrementorum eo deferatur, vi caloris facillime paucis horis illa conuertere poterit in lanuginem arenulas, & reddi per vrinas, & tamen non adeſſe calculum: quamobrem ſi hoc non eſſet verum, vt veriſſimum, videlicet quotidie hæc fieri, & generari videretur impoſſibile tantam materiam ſabuloſam, & arenoſam, quæ ab aliquibus aſſiduè redditur, in veſicæ, vel renum cauitate retineri, & non tranſmitti. Concludendum igitur eſt, veſicam in ſuo ſtatu naturali excrementum lotium vocatum eo modo demittere, quo in dies ſingulos

Arena fit de repẽte, calculus in tempore.

à renibus per emulgentes fit attractio, idcircò aliquando tenuis, aliquando craſſa, aliquando arenoſa vrina redditur, at cum illa ſubſidentia arenoſa prodire nequit, reuerſaque coheret, & retinetur, eſt quid præter naturam, quo tempore ex illa arenulæ fiunt, & generantur calculi. Altera reſponſio erat, in eiſdem laborantibus lotio ſabuloſo contrarium etiam euenire poſſe, nimirum adeſſe calculum, & vi diureticorum minui, atque paulatim compactum arenoſum frangi, foraſque duci; immò hæc methodus medendi à Medicis ſeruari debet tam in calculorum expulſione renum, quàm veſicæ; vnica enim vice lapides expelli nequeunt, de cuius forma expulſionis, & an conueniant diuretica 3. libro erit diſputatio, & iſte mihi videtur exqueſitus ſenſus illius ambiguæ Hippo. ſententiæ, quæ probabilis eſt, non neceſſaria pertinens ad partem dignoſticam, & prognoſticam. Adeſſe verò ſabulum in lotio eſt vnum ex ſignis calculi, quod non ſufficit, vt annotauimus.

Calculus vi diureticorum minui poteſt.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

De dolore, vt ſigno præſente calculi, quid ſit dolor, quæ ſint eius cauſæ, & qua corporis parte fieri poſſit, & an requiratur neruus, vt partes doleant, & ſentiant.

IN calculi cognitione nullum præſtantius ſignum eſſe ſolet, quàm dolor ſtabilis in renum regione, ſiue vreteribus, ideòq; Auicenna optime inquit vehementem dolorem fieri propter lapidem renum, cum generari incipit, ratio verò eſt, quia conſtringit, & coarctat loca, in quibus ſuperflui retinetur, quod virtus expellere nequit, qua de re cum huiuſmodi dolor adeſt, qui eſt ſignum præſens, & tutum calculi (cæteris tamen conſentientibus) videndum an ſit pungitiuus, an grauatiuus, an verò vterque adſit. In primis ergo ſcrutandæ ſunt cauſæ doloris, vt ex Hippocrate Quia ſit dolor explicatur.

Cauſæ doloris ex Hippoc.

lib.de locis in homine pulcherrime habetur, dolores fieri, vel ob frigus, vel calorem, vel copiam nimiam, ſiue nimiam paucitatem, & in natura perfrigeratis ad cutem corporis partibus ob nimium calorem dolor ſnboritur,& in calidis natura ob frigus, in ſiccis natura dum humectatur, in humidis natura dum reſiccatur. Cum enim cuiuſque natura immutatur, & corrumpitur dolores fiũt, & ſanantur contrarijs,idque proprium eſt cuique morbo: cum ergo dolor oriatur,& fiat ab alteratione primarum qualitatum quærendum an dolor pungitiuus, qui teterrimus eſt; ſit in paroſiſmis, & oriatur immediatè ab intemperie qualitatum tantum; vel ſolutione continui, vel alijs cauſis, vt puta lapillis; & an adſit etiam grauatiuus,& oriatur ab ijſdem cauſis, ſed ante quam hoc ſit ſtatutum afferenda eſt doloris deſcriptio, & ea explananda, vt methodicè procedamus.

Quid ſit dolor explicatur.

Dolor ergo eſt vehemens ſenſus tactus moleſtia, ex tentata corruptione

ſen-

ſenſorij ab aliquo excellenti tangibili. Nomen igitur doloris compoſitus eſt ex materia, & forma; materia eſt ſenſus tactus: forma eſt moleſtia, ex tentata corruptione ſenſorij, intelligitur de via ad corruptionem, non ipſa corruptio, hoc verò fit cum ſoluitur continuum, & eſt alteratio corruptiua; dicitur ſenſus tactus; quia etiam ſi in reliquis ſenſibus fiat dolor, dicitur methaphoricus; nam in ſenſu tactus propter eius craſſitiem dolor efficacior percipitur, ab aliquo excellenti tangibili; excellentia verò tangibilia ſunt frigefacientia, calefacientia, humectantia, & ſiccantia in exceſſu ſupra lata ab Hippocrate, quæ ſoluendo partium continuitatem, alterando, intemperies inducunt, vaſorum repletiones ex quibus dolores fiunt, quod optime etiam cognouit Galenus 12. methodi cap. 7. dum ait tunc fit dolor cum intemperies cauſatur à primis qualitatibus, vel ſimplicibus, vel compoſitis violenter agitantibus, vel cum materia, vel ſine materia; altero modo fit à continui

Primę qualitates sũt excellẽtia tangibilia.

Cauſæ doloris ex Galeno.

ſolu-

ſolutione, quæ modo fit propter ſciſsionem, modo propter contuſionem, modo eroſionem, tam à cauſa intrinſeca, quàm extrinſeca, ex quibus apertè patet quorumcumque dolorum, ſiue renum, ſiue aliarum partium cauſas immediatas internas ſolutionem continui, & intemperiem eſſe. Cauſæ verò internæ mediatæ doloris à calculo (nam de cauſis in vniuerſum ſatis ſuperque dictum eſt) ſunt lapilli arenulæ ſuperfluitates exitum lotij impedientes, quæ generantur in renum cauitate, & vaſis lotio inſeruientibus. Et ex his omnibus dilatantibus meatus, fit continui ſolutio, vel intemperies, vnde dolor pungitiuus; vel expellenda non expelluntur, & ſic oritur grauedo; vnde dolor grauatiuus.

Immediatæ cauſæ doloris.

Mediatæ cauſæ doloris ſunt lapilli arenulæ.

Sed quærat aliquis an dolor poſſit fieri in partibus omnibus corporis tam internis, quàm externis; pro cuius quæſiti reſponſione, & intelligentia aliqua ſunt breuiter adnotanda: & primò ſciendum animam rationalem vnicam eſſe in corpore humano, & in hoc eſſe quoſ-

An dolor fiat in omnibus partibus corporis.

dam

dam gradus, vt vegetare, & ſentire dependentes ab anima, & quo ad ſuam entitatem eſſe eleuatos in homine ſupra materiam, & naturam corpoream, atque hinc eſt, vt non oriantur ex ſolis primis qualitatibus, nam ſentire, & vegetare duplicitet conſiderantur. Primò præciſè prout ſunt principium ſentiendi, & vegetandi abſtrahendo quod habeant adnexam vlteriorem perfectionem, & eleuationem, vel negationem vlterioris perfectionis, & eleuationis, & ſic conſiderata formaliter continentur in eſſentia animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ in vniuerſum. Secundò conſiderantur, prout poſitiuè habent annexam vlteriorem perfectionem, & eleuationem, vel negationem vtriuſque, & ſic ſpecialiter continentur in anima rationali, aut brutorum. Et quia anima rationalis eſt tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, etiam facultas ſenſitiua, & vegetatiua debet eſſe diffuſa per totum corpus, vt notat Zabarella de partitione animæ, cap. 13. & ſequentibus, & docet Ariſt. 2. de

Sentire, & vegetare, dupliciter conſideratur.

de anima à tex. 19. vſque ad 23: & conſequenter erit verum dicere; quòd omnes corporis partes dolorem ſentire poſſunt hæ, ſiue internæ ſint, ſiue externæ: Enim verò in partibus internis fit dolor ex accidenti à cauſa morbifica: & in externis fit dolor per ſe; cum ſint expoſitæ externis iniurijs, quod cerebro, iecori, pulmoni, renibus non accidit.

[illegible]

Sciendum ſecundò omnes animæ potentias tam organicas, quàm inorganicas eſſe in ſola anima immediatè; organicæ verò ſunt ſubiectiuæ in organo [illegible] anima, & ab organo determinantur ad ſuas operationes, & quoad hæc non ſunt in toto corpore, ſed in ea parte, in qua eſt proportionatum organum.

[illegible]

Sciendum tertiò eſt organum dupliciter in aliqua parte ſumi, & conſiderari poſſe: primò, vt ſit ſimpliciter neceſſarium tanquam determinans operationem, & hoc modo, vt ſiat viſio, verbi gratia, neceſſe eſt organum eſſe bene conſtitutum, vt oculos, & hic ſi eſſet in pede,

pes

pes videret, ait Ariſtoteles, & vniuerſaliter hac de cauſa aliquę partes egent organo benè diſpoſitò connexo determinante actionem, vt fungantur officio ſuo. Altero modo ſumi poteſt, & conſiderari organum, vt ſolum coadiuuans, & conducens actionibus, non autem vt neceſſariò connexum partibus, quæ operantur, & tunc illa pars non eget organo ſubiectiuè, ſed ſufficit influxus illius, & ſic contingit ſenſus in cerebro, pulmonis ſubſtantia iecore: ſiquidem iſta ſuaptè natura originaliter habent ſenſum, & dolent, quando verò alterantur propter cauſam morbificam, accidentalis res eſt, vt bene notat Hippocrates in prognoſticis, & de locis in homine loquens de pleuritide, quod idem confirmat Auerroes 7. collig. 30. de pulmonibus, vbi ait, pulmones exquiſitiſſimo ſenſu à natura præditos eſſe, ita vt minimam quamlibet læſionem ſentire non ſit dubium, quod non eſt interpretandum, ſicut à vulgo interpretatur de ſenſu accidentali, verùm de maximo adnato, &

Dolor in omnibus corporis partibus fieri poteſt per ſe, & non per cōſenſum.

connaturali accipiendum eſt, quippe omnium partium corporis, pulmo maximè ſanguineus, & ideò dolere maximè aptus eſt, vt docet Ariſtoteles primo Hiſtor. Animalium, capit. 17. egent verò huiuſmodi partes coadiutorijs, vt puta neruis, per quos deferuntur ſpiritus animales ad hoc, vt fiat rita, & perfecta actio, vel ſenſatio: non igitur rectè ſequitur in aliqua corporis parte non ſunt nerui, ergo non dolet, nec ſentit; ſatis enim eſt ſi ſint coadiutorij, & vt funes in naui: qui an profluant, & originem habeant à corde, vt Ariſtoteles exiſtimauit, an verò à cerebro, vt Galenus, & cæteri ſectatores proſequuti ſunt, nec verbum faciam, cum de his adſit ſatis vulgata quæſtio apud Conciliatorem differentia 41. Ex his igitur ſuppoſitis, dicendum eſt, in omnibus partibus corporis poſſe fieri dolorem, & ſenſum; immò in renibus, & eorum querelis, & calculo laborantibus adeſt dolor maximè grauatiuus, & pungitiuus, etſi grauatiuus eſſe poſſit abſque pungitiuo, vt clarè

Pulmo maximè ſanguineus é, ideò dolere ex Ariſ.

Nerui ſũt vt funes ĩ naui ad motum.

pa-

patet ex relatione eorum, qui aſſiduè arenulas mingunt, ijque quandam grauedinem circa renum regiones ſentiunt, quod ratione detenti in renum cauitate, vel vaſis dicto muneri inſeruientibus oriri ſolet. Et clarius docet Hippocrates libro 6. Epidemiorum tex. 6. quo in loco hæc habet: Ad renem doloris grauitas vrget cum cibo implentur, ergo grauedo aſſidua in renum regione ijs, qui huiuſmodi affectionem patiuntur, eſt ſignum perſpicax adeſſe calculi diſpoſitionem, conſequenter dolorem grauatiuum magis, & minus, prout aliquid detinetur, licèt ibi Galenus per grauitatem intelligat etiam acutiem dolorum, quod graue nos modo ſeiunctim à querelarum acutie ſumimus, intelligimus, & explicamus. E contrà verò cum adeſt vel magna intemperies, vel ſolutio continui, excitantur dolores pungitiui teterrimi, qui maximos cruciatus patientibus afferunt; fit verò continui ſolutio, vt dictum eſt, vel propter compreſſionem rerum, quæ nequeunt tranſire ob anguſtiam lotij

Grauitas dupliciter conſideratur.

meatuum, vel ruptionem, ſiue roſionem vaſorum, vnde ſæpè ſæpius ſanguis puris inſtar,lapilli mingi ſolent,excitantes dolorem pungitiuum occupantem, grauatiuum; ex ſententia Hippocratis igitur, & Galeni cócludatur in paroxyſmis adeſſe vtrumque, extra paroxyſmum eſſe poſſe grauatiuum tantum circa lumbos, quippe non adſit magna intemperies, & ſolutio continui ambo aſſignata pro cauſis immediatis dolorum.

Signũ calculi eſt motus lapidis.

Alterum ſignum doloris à calculo relatum ab Auicenna libro 3. fen. 18. tractatu 2. cap. 17. eſt motus lapidis (enim verò nullus dolor adeſt cùm in ventriculis renum lapides continentur, immò ni exturbētur abſque dolore, etiam lotium ſupprimi poteſt), quod ſic cognoſci facile eſt, videlicet cum fit doloris permutatio, & eius vehementia deſcendendo prouenit ad inguina poros viritides ſuper emunctoria; hinc enim ſignum eſt lapidem perueniſſe ad meatum prope veſicam,ſedatoquè dolore, tunc indubitatum eſt in veſica contineri, & ex his

col-

colligitur motus lapidis à cauitate renum ad veſicam, parique ratione cognoſcitur cum lotium retinetur, an in renẽ, an in veſica, ſi in iſta adeſt tumor in pube, tenſio in illa parte grauitas, dolor, continuum emittendi lotij deſiderium. Si verò non dolor, non tumor, non grauitas, non cætera adſint, ſciendum eſt lotium ſuperioribus partibus, vt puta renibus contineri, quippe ij vel non trahant ab hepate, vel ad veſicam lotium non demittant: præſertim ſi adfuerit ſenſus doloris, & grauitatis in lumbis, id eſt circa illam partem corporis, cuius fundamentum, atque ſtabilimentum ſunt quinque ille dorſi vertebræ, quæ thoracis vocati vertebras ſequentes oſſi ſacro incumbunt: lumbus enim pars eſt ſatis carnoſa ad flectendum inſtituta, & ad generandum maximè neceſſaria. Alia verò ſigna repletionis in vniuerſo corpore, vt puta capite, thorace, ventre inferiori, quæ partes temporis lapſu demandantes calculos generare, & prædicere poſſent, cum de ijs noſtra non ſit inſtituta

Lumborũ locus in humano corpore.

 di-

diſputatio; videat qui cupit Marſilium Cagnatum libro 1. de ſanitate tuenda, cap. 10. qui de his ſingularis ſigillatim agit. Et hæc de ſignis dignoſticis in præſentiarum dolorum.

CAPVT TERTIVM.

Vt dolor nephriticus differat à colico, ſiue ileo dolore.

NE multiplicentur ſine neceſſitate entia, & ad tollendas plures notas diſtinctiuas, pro clariori doctrina ſciendum eſt dolorem colicum non differre ab ileo, quippe ſint idem ſpecie probatur ex Alexandro Tralliano cap. de Ileo; dicente, ileum eſſe intenſum colicum, differunt tamen penes ſymptomata, vt puta cum aduenit vomitus ſtercoracei tunc dicitur ileus, non ex hoc ſequitur diſtingui à dolore colico ſpecie, ſed eſt idem dolor magis intenſus cum illis prauis ſymptomatibus. Immò Areteus antiquiſſimus Auctor libro 2. capite

Dolor colicus non differt ab ileo ni penes ſymptomata.

de

de ileo, ait eadem ſymptomata eandem formam retinentia accidere colico dolori, atque ileo, at probatur vlterius ex Hippocrate, Celſo, qui cognouerunt hunc dolorem vocatum ileon. Ita libro de flatibus, tertio de morbis, de internis affectionibus, & tertio Epidemiorum ægroto nono; colon verò nominauit in libro de Anatome, turpe eſt dicere dictos Auctores non cognouiſſe dolorem colicum, quod falſiſſimum eſt quippe nominarint ſub hoc nomine ilei; neque eſt verum illud Plinij libro 26. circa initium, dicentis morbum colicum non eſſe cognitum ante Tiberium Imperatorem; verum Aſclepiades ante Tiberium nominat morbum colicum. Vnde dicendum eſt conuenire, & dolorem ileum, & colicum in parte affecta, & cauſis: nam vterque dolor & ileus, & colicus habent tam gracilia inteſtina, quam craſſa pro partibus, & locis affectis, ſed rerum denominationes ſemper ſumuntur à potioribus, vt ab omnibus receptum eſt: Adde voluulum, ſiue ileum poſſe eſſe

ſolutione, quæ modo fit propter ſciſsionem, modo propter contuſionem, modo eroſionem, tam à cauſa intrinſeca, quàm extrinſeca, ex quibus apertè patet quorumcumque dolorum, ſiue renum, ſiue aliarum partium cauſas immediatas internas ſolutionem continui, & intemperiem eſſe. Cauſæ verò internæ mediatæ doloris à calculo (nam de cauſis in vniuerſum ſatis ſuperque dictum eſt) ſunt lapilli arenulæ ſuperfluitates exitum lotij impedientes, quæ generantur in renum cauitate, & vaſis lotio inſeruientibus. Et ex his omnibus dilatantibus meatus, fit continui ſolutio, vel intemperies, vnde dolor pungitiuus, vel expellenda non expelluntur, & ſic oritur grauedo; vnde dolor grauatiuus.

Immediatæ cauſæ doloris. Mediatæ cauſæ doloris ſunt lapilli arenulæ.

Sed quærat aliquis an dolor poſſit fieri in partibus omnibus corporis tam internis, quàm externis; pro cuius quæſiti reſponſione, & intelligentia aliqua ſunt breuiter adnotanda: & primò ſciendum animam rationalem vnicam eſſe in corpore humano, & in hoc eſſe quoſ-

An dolor fiat in omnibus partibus corporis.

dam

dam gradus, vt vegetare, & ſentire dependentes ab anima, & quo ad ſuam entitatem eſſe eleuatos in homine ſupra materiam, & naturam corpoream, atque hinc eſt, vt non oriantur ex ſolis primis qualitatibus, nam ſentire, & vegetare dupliciter conſiderantur: Primò præcisè prout ſunt principium ſentiendi, & vegetandi abſtrahendo quod habeant adnexam vlteriorem perfectionem, & eleuationem, vel negationem vlterioris perfectionis, & eleuationis, & ſic conſiderata formaliter continentur in eſſentia animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ in vniuerſum: Secundò conſiderantur, prout poſitiue habent annexam vlteriorem perfectionem, & eleuationem, vel negationem vtriuſque, & ſic ſpecialiter continentur in anima rationali, aut brutorum: Et quia anima rationalis eſt tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, etiam facultas ſenſitiua, & vegetatiua debet eſſe diffuſa per totum corpus, vt notat Zabarella de partitione animæ, cap. 13. & ſequentibus, & docet Ariſt. 2. de

Sentire, & vegetare dupliciter conſiderantur.

de anima à tex. 19. vſque ad 23. & conſequenter erit verum dicere; quòd omnes corporis partes dolorem ſentire poſſunt hæ, ſiue internæ ſint, ſiue externæ. Enim verò in partibus internis fit dolor ex accidenti à cauſa morbifica: & in externis fit dolor per ſe, cùm ſint expoſitæ externis iniurijs, quod cerebro, iecori, pulmoni, renibus non accidit.

Oēs partes corporis, tam internæ, quàm externę dolorem ſentiunt.

Sciendum ſecundò omnes animæ potentias tàm organicas, quàm inorganicas eſſe in ſola anima immediatè; organicæ verò ſunt ſubiectiuæ in organo ſolum mediante anima, & ab organo determinantur ad ſuas operationes, & quoad has non ſunt in toto corpore, ſed in ea parte, in qua eſt proportionatum organum.

Organum dupliciter etiam cōſideratur.

Sciendum tertiò eſt organum dupliciter in aliqua parte ſumi, & conſiderari poſſe: primò, vt ſit ſimpliciter neceſſarium tanquam determinans operationem, & hoc modo, vt fiat viſio, verbi gratia, neceſſe eſt organum eſſe bene conflatum, vt oculus, & hic ſi eſſet in pede,

pes videret, ait Ariſtoteles, & vniuerſaliter hac de cauſa aliquę partes egent organo benè diſpoſito connexo determinante actionem, vt fungantur officio ſuo. Altero modo ſumi poteſt, & conſiderari organum, vt ſolum coadiuuans, & conducens actionibus, non autem vt neceſſariò connexum partibus, quæ operantur, & tunc illa pars non eget organo ſubiectiuè, ſed ſufficit influxus illius, & ſic contingit ſenſus in cerebro, pulmonis ſubſtantia iecore: ſiquidem iſta ſuaptè natura originaliter habent ſenſum, & dolent, quando verò alterantur propter cauſam morbificam, accidentalis res eſt, vt bene notat Hippocrates in prognoſticis, & de locis in homine loquens de pleuritide, quod idem confirmat Auerroes 7. collig. 30. de pulmonibus, vbi ait, pulmones exquiſitiſſimo ſenſu à natura præditos eſſe, ita vt minimam quamlibet læſionem ſentire non ſit dubium, quod non eſt interpretandum, ſicut à vulgo interpretatur de ſenſu accidentali, verùm de maximo adnato, &

Dolor in omnibus corporis partibus fieri poteſt per ſe, & non per cõſenſum.

connaturali accipiendum eſt, quippe omnium partium corporis, pulmo maximè ſanguineus, & ideò dolere maximè aptus eſt, vt docet Ariſtoteles primo Hiſtor. Animalium, capit. 17. egent verò huiuſmodi partes coadiutorijs, vt puta neruis, per quos deferuntur ſpiritus animales ad hoc, vt fiat vita, & perfecta actio, vel ſenſatio: non igitur rectè ſequitur in aliqua corporis parte non ſunt nerui, ergo non dolet, nec ſentit; ſatis enim eſt ſi ſint coadiutorij, & vt funes in naui: qui an profluant, & originem habeant à corde, vt Ariſtoteles exiſtimauit, an verò à cerebro, vt Galenus, & cæteri ſectatores proſequuti ſunt, nec verbum faciam, cum de his adſit ſatis vulgata quæſtio apud Conciliatorem differentia 41. Ex his igitur ſuppoſitis, dicendum eſt, in omnibus partibus corporis poſſe fieri dolorem, & ſenſum; immò in renibus, & eorum querelis, & calculo laborantibus adeſt dolor maximè grauatiuus, & pungitiuus, etſi grauatiuus eſſe poſſit abſque pungitiuo, vt clarè

Pulmo maximè ſanguineus é, ideò dolere ex Ariſ.

Nerui ſũt vt funes ĩ naui ad motum.

pa-

patet ex relatione eorum, qui aſſiduè arenulas mingunt, iijque quandam grauedinem circa renum regiones ſentiunt, quod ratione detenti in renum cauitate, vel vaſis dicto muneri inſeruientibus oriri ſolet. Et clarius docet Hippocrates libro 6. Epidemiorum tex. 6. quo in loco hæc habet: Ad renem doloris grauitas vrget cum cibo implentur, ergo grauedo aſſidua in renum regione ijs, qui huiuſmodi affectionem patiuntur, eſt ſignum perſpicax adeſſe calculi diſpoſitionem, conſequenter dolorem grauatiuum magis, & minus, prout aliquid detinetur, licèt ibi Galenus per grauitatem intelligat etiam acutiem dolorum, quod graue nos modo ſeiunctim à querelarum acutie ſumimus, intelligimus, & explicamus. E contra verò cum adeſt vel magna intemperies, vel ſolutio continui, excitantur dolores pungitiui teterrimi, qui maximos cruciatus patientibus afferunt; fit verò continui ſolutio, vt dictum eſt, vel propter compreſſionem rerum, quæ nequeunt tranſire ob anguſtiam lotij

Grauitas dupliciter conſideratur.

meatuum, vel ruptionem, ſiuè roſionem vaſorum, vnde ſæpè ſæpius ſanguis puris inſtar, lapilli mingi ſolent, excitantes dolorem pungitiuum occupantem; grauatiuum; ex ſententia Hippocratis igitur, & Galeni cócludatur in paroxyſmis adeſſe vtrumque, extra paroxyſmum eſſe poſſe grauatiuum tantum circa lumbos, quippe non adſit magna intemperies, & ſolutio continui ambo aſſignata pro cauſis immediatis dolorum.

Signũ calculi eſt motus lapidis.

Alterum ſignum doloris à calculo relatum ab Auicenna libro 3. fen. 18. tractatu 2. cap. 17. eſt motus lapidis (enim verò nullus dolor adeſt cùm in ventriculis renum lapides continentur, immò ni exturbētur abſque dolore, etiam lotium ſupprimi poteſt), quod ſic cognoſci facile eſt, videlicet cum fit doloris permutatio, & eius vehementia deſcendendo prouenit ad inguina poros viritides ſuper emunctoria; hinc enim ſignum eſt lapidem perueniſſe ad meatum propè veſicam, ſedatoque dolore, tunc indubitatum eſt in veſica contineri, & ex his

col-

colligitur motus lapidis à cauitate renum ad veſicam, parique ratione cognoſcitur cum lotium retinetur, an in renes, an in veſica, ſi in iſta adeſt tumor in pube, tenſio in illa parte grauitas, dolor, continuum emittendi lotij deſiderium. Si verò non dolor, non tumor, non grauitas, non cætera adſint, ſciendum eſt lotium ſuperioribus partibus, vt puta renibus contineri, quippe ij vel non trahant ab hepate, vel ad veſicam lotium non demittant: præſertim ſi adfuerit ſenſus doloris, & grauitatis in lumbis, id eſt circa illam partem corporis, cuius fundamentum, atque ſtabilimentum ſunt quinque illę dorſi vertebræ, quæ thoracis vocati vertebras ſequentes oſſi ſacro incumbunt: lumbus enim pars eſt ſatis carnoſa ad flectendum inſtituta, & ad generandum maximè neceſſaria. Alia verò ſigna repletionis in vniuerſo corpore, vt puta capite, thorace, ventre inferiori, quæ partes temporis lapſu demandantes calculos generare, & prædicere poſſent, cum de ijs noſtra non ſit inſtituta

Lumborũ locus in humano corpore.

 di-

diſputatio, videat qui cupit Marſilium Cagnatum libro 1. de ſanitate tuenda, cap. 10. qui de his ſingularis ſigillatim agit. Et hæc de ſignis dignoſticis in præſentiarum dolorum.

CAPVT TERTIVM.

Vt dolor nephriticus differat à colico, ſiue ileo dolore.

NE multiplicentur ſine neceſſitate entia, & ad tollendas plures notas diſtinctiuas, pro clariori doctrina ſciendum eſt dolorem colicum non differre ab ileo, quippe ſint idem ſpecie probatur ex Alexandro Tralliano cap. de Ileo; dicente, ileum eſſe intenſum colicum, differunt tamen penes ſymptomata, vt puta cum aduenit vomitus ſtercoracei tunc dicitur ileus, non ex hoc ſequitur diſtingui à dolore colico ſpecie, ſed eſt idem dolor magis intenſus cum illis prauis ſymptomatibus. Immò Areteus antiquiſſimus Auctor libro 2. capite de

Dolor colicus non differt ab ileo ni penes ſymptomata.

de ileo, ait eadem ſymptomata eandem formam retinentia accidere colico dolori, atque ileo, at probatur vlterius ex Hippocrate, Celſo, qui cognouerunt hunc dolorem vocatum ileon. Ita libro de flatibus, tertio de morbis, de internis affectionibus, & tertio Epidemiorum ægroto nono; colon verò nominauit in libro de Anatome, turpe eſt dicere dictos Auctores non cognouiſſe dolorem colicum, quod falſiſſimum eſt quippe nominarint ſub hoc nomine ilei; neque eſt verum illud Plinij libro 26. circa initium, dicentis morbum colicum non eſſe cognitum ante Tiberium Imperatorem; verùm Aſclepiades ante Tiberium nominat morbum colicum. Vnde dicendum eſt conuenire, & dolorem ileum, & colicum in parte affecta, & cauſis: nam vterque dolor & ileus, & colicus habent tam gracilia inteſtina, quam craſſa pro partibus, & locis affectis, ſed rerum denominationes ſemper ſumuntur à potioribus, vt ab omnibus receptum eſt: Adde voluulum, ſiue ileum poſſe eſſe

abſque eiectione ſtercoracei per os, vtique quotidie in praxi apparet, & Hippocrates videtur annuere tertio illo Epidemiorum ægroto nono, inquiens per aluum tenuuia, & cruda recrementa eijci contra Galenum ad commentar. 10. 7. Aphoriſmorum, & 6. comment. 44. & quoſdam alios dicentes ſignum inſeparabile voluuli, eſſe nil deijci per inferiora: ergo recrementa deijci poſſunt per infernas partes, & non ſupernas, & tamen eſſe ileum, qui eſt intenſus colicus; cum verò æger peruenit ad ſtercoracea vocandus eſt ileus; & ſic concludendum, vt ſuperius differre penes nomen, & ſymptomata, non verò ſpecie, nec parte affecta, & cauſis; immò aliquoties craſſior hæc pituitâ, ita diutius coercita eſt in cellulis inteſtinorum, vt degenerarit in calculos, qui dolores teterrimos parere ſolent; & tamen colici indifferenter, vel ilei ratione partis affectæ vocantur, & dici debent. Et licet veteres Auctores non videantur conuenire de loco ilei; tamen qui rectè eos perpendit inueniet

In ileo poteſt aliqđ inferne demitti. Dolor colicus non differt ab ileo.

niet

niet ileum habere omnia inteſtina pro loco affecto, & in primis Galenus non videtur in hac re ſibi conſtare; nam in Comment. Aphoriſmi 44. 6. partic. docuit ileum eſſe in tenuibus inteſtinis dumtaxat, & tertio Epidem. in hiſtoria mulieris voluuloſæ (vbi tamen loquitur ex aliorum ſententia; & ita ſibi repugnat) dicit voluulum fieri in tenuibus, & craſſis inteſtinis, ſæpius tamen in tenuibus, Celſus ponit in tenuibus, & craſſis; præterea Hippocrates in libro de Glandulis, facit in inferioribus inteſtinis, ex quibus varijs auctoritatibus, & rationibus clarè patet apud veteres Medicos, tam colicum, quàm ileum dolorem dixiſſe fieri in vtriſque inteſtinis, & conſequenter non differre ni penes nomen; & ſymptomata. Neque ſilentio eſt prætermittendum illud Æginetæ libro 3. cap. 45. referentis in colico dolore, ſiue ileo ſolere ſuperuenire paralyſim, quod quidem rarum apud nos; verùm apud Britones populos familiare eſſe ſcholiographi ad cap. 41. Hollerij de morbis internis

Tam colicus, quàm ileus dolor habent tenuia, & craſſa inteſtina pro locis affectis.

ternis

ternis recenſent, licèt Trincauella libro tertio, cap. 1. de curandi ratione partic. humani corporis affectus, Venetijs vidiſſe hoc ſymptoma, in mercatore quodam Piſano, cui poſt colicos dolores reſoluta ſunt vtraque crura, deſinentibus doloribus. Et nos quoque paucis his annis, quibus medicinæ operam nauamus ſimile ſymptoma obſeruauimus, nimirum in iuuene ſanguineo, vinoſo, & venereo, exercente munus cauponis, qui poſt aliquos dolores colicos, incidit in paralyſi n partium inferiorum, adeò vt quoque inteſtina quodammodo erant reſoluta, cum aluum redderet cum leuiſſimo ſenſu; ex exhibitione Caſtorei, & balneo aquæ marinæ, ac alijs ſudationibus, ſpatio quatuor menſium ad priſtinum ſtatum ſanitatis reuerſus fuit, pręſenti tempore, quo hæc ſcribo viuens, & ſuperſtes eſt caupo.

Obſeruatio Auctoris de caupone paralytico poſt colicum.

His præmiſſis, nephriticum dolorem cognoſcere à colico, ſiue ileo, eſt valde difficile, ſic Galenus 2. de locis affectis, capite quinto: quod etiam ſignificauit

Are-

Aretęus libro 2. cap.8.de colico dolore loquens, renes, & veſicam in partes huius doloris adduci, vrinamque cohiberi, iſtis alia pro alijs accidere; verùm Auicenna libro tertio, fen. 16. tractatu tertio, capit. 10. docuit dolorem renalem prius apparere in dorſo fixum, non vagantem, vt colicum, qui ſolet incipere à parte inferiori, & interiori dexteri lateris tendens ad ſuperiorem ſiniſtri; è contra ille ſemper fixus eſt vergens ad partes poſteriores: Et hæc eſt prima nota diſtinguens nephriticum dolorem à colico. Secunda nota eſt in colico dolore ſemper adeſſe aluum duram, ſi verò lubrica fiat, leuaminis nõ parum percipitur, quod non ita accidit aliquando affectibus renum, etiam ſi à vacuantibus medicamentis, vel ſuaptè natura lubrica reddatur. Tertia nota eſt, in libello de dignotione, & medicatione renum Galeno aſcripto, capite tertio, deprompta ab Hippocrate ſexto Epidimeorum, ſectione prima, textu ſexto, fæmur quod è directo reſpondet ſtuporem

Notæ diſtinguẽtes nephriticũ à colicis doloribus.

per-

percipere: vnde ritè Galenus, ſi dexterum crus, & fæmur ſtupor occupabit dexterum renem ægrotare, ſin leuum ſiniſtrum; ſtupor enim non eſt aliud, niſi ſentiendi, mouendi difficultas in parte: Cuius ſtuporis duplices ſunt cauſæ; Vna eſt propter compreſſionem muſculorum, qui renibus incumbunt fabricati à natura, vt crura flectant; Altera eſt compreſſio nerui, qui in cruris muſculos expanditur, quæ compreſſiones muſculorum, & neruorum à duritie, & pondere lapidis contenti in renibus fieri ſolent: Galenus ad textum præcitatum Hippocrat. cauſam aliam ſtuporis refert, vt puta coniunctionem vaſorum dorſo incumbentium cauæ, ſcilicet venæ, magnæque arteriæ, cum renibus, & cruribus: nam cum venæ comprimantur à lapide intumeſcunt, venæque tumefactæ comprimunt neruos, quibus aſſociantur; atque ita ſtupor inducitur. Pari ratione, ſi dexter teſticulus retrahatur dexterum pati renem argumentum

Cauſæ ſtuporis fæmoris.

Tertia nota calculi.

tum eſt, ſi ſiniſter ſiniſtrum, & hæc eſt alia differentia Colici à Nephritico. Quarta præſtantiſſima, atque tutiſſima nota eſt, cùm in lotio arenulæ cruor, ſedimentum craſſum appareant, vel ſi vrinæ prius tenues, & ſeroſæ deinde craſſæ reddantur, quod inſeparabile eſt ab effectibus renum; ſic Auicenna poſtremo loco citato: & Galenus ſexto de locis affectis, capite tertio. Cuius opinionis Antiſtes fuit Hippocrates de Aere, locis, & aquis, ac in Aphoriſ. ſeptuageſimo nono explicato. Quinta nota eſt, cùm vrina, dolore vexante, paulatim redditur, deinde aſtringitur, & ſupprimitur; vrina enim frequenter fluere non eſt ſufficiens argumentum renes, & vreteres liberos eſſe calculis; immò contrarium, quia ob euiditatem, & arenulas ſtimulantes fit mictus frequens, & paulatina, vt Celſus libro ſecundo, cap. ſeptimo, egregiè docuit, eoque tempore adeſſe calculum dubitandum non eſt, at verò ſi penitus ſuppreſſum lotium ſit regurgitat; vnde ſta-

Quarta nota calculi.

Quinta nota calculi.

ſtatim alui tumor, ſingultus, animi deliquia, coma ſuperueniunt. Neque ſemper arenulas rubras prodire eſt animaduertendum, ſed ſæpè cùm lapis è renibus emotus eſt, ob violentiam calculi ſanguinem aliquando excerni. Et hæc de notis proprijs lapidis, quæ diuidunt nephriticas querelas à colicis, vel ileis.

COLLECTIO QVARTA,

De breui calculi prænotione, atque dolorum.

CVM iam ſatis fusè pro Methodo propoſita, diſputatum fuerit de parte dignoſtica Renum querelarum, & calculi, locus poſtulat, vt accedamus ad partem prognoſticam, quæ abſolui ſolet tribus partibus primarijs, vt colligere eſt ex Hippocrate libro de Prænotione. Prima erit Euentus. Secunda, Tempus. Tertia, Modus. De quibus omnibus ſigillatim, & breuiter habendus eſt ſermo.

CAPVT PRIMVM

De prænotione ratione euentus.

Prænotiones calculi.

ARiſtoteles 3. de partibus animalium 9. dicebat; morbos renales etiam ſi ſint recentes eſſe tamen difficile ſanatu, difficilius autem ſi ambo renes laborant, quàm ſi vnus tantum infeſtetur, immò initijs patientes moleſtiſſimè ferunt huiuſmodi cruciatus, adeò vt aliqui paucis horis pereant, tractu verò temporis vaſa lotio inſeruientia dilatantur, & ſic facilius curationes recipiunt: Cur verò difficillimè affectus renum ſanentur, præſentem Ariſtoteles aſſignauit rationem, quia hominum renes bubalis ſimiles ſunt, quippe qui tamquam compoſiti ex multis renibus exiguis conſtent, neque æquabiles ſunt quemadmodum renes ouium, cæterarumque quadrupedum habentur, quo fit vt morbus eorum difficile curari hominibus poſſit, etiamſi nuper ægrotare ince-

Ratio Ariſtot. cur renũ affectus difficile ſanentur.

inceperint; accidit enim, vt quaſi multis renibus laborent, difficilius remedium adhibeatur, quàm ſi vno infeſtarentur, qui locus aliquibus non videtur eſſe rei medicę bene accomodatus, quem acerrime reprehendit Euſtachius libro de renum ſtruc. cap. 3. attamen confitetur ipſe virum, & puellam vidiſſe; neſcio ergo quomodo ſit reprehendendus Ariſtoteles, cùm dicat, *Accidit enim, vt quaſi multis renibus laborent,* ideſt ac ſi eſſent multi renes, & ſuperius dixerat, *tanquam compoſiti ex multis renibus*, nimirum ac ſi eſſet compoſitio multorum renum, quamobrem ſequitur ſequela clariſſima Ariſtotelem loquutum fuiſſe comparatiuè propter morbi acutiem, & ſymptomatum, & idcirco non egere vlla reprehenſione recentiorum; At rationes alias clariores affert Aurelianus, cur vitia renum, & veſicæ difficile recipiant curationem, & hoc ſiue per conſenſum ſit, ſiue per eſſentiam: prima ratio eſt, quoniam huiuſmodi viſcera ſunt membra valde ſenſibilia, atque inconſenſum trahunt cę-

Rationes Aureliani cur renes, & veſica, difficile curari poſſint.

Digitized by Google

teras corporis partes: ſecunda ratio, quia ſunt diſtantia ab opere, & facultate medicamentorum: tertia ratio eſt, quoniam ſi fortaſſe vlcerentur, niſi maxima difficultate, aut vllo modo coaleſcere poſſunt; quorum omnium rationum primum fundamentum iecit Hippocrates 6. Aphoriſm. 6. renum, & veſicæ vitia præcipuè in ſenibus ægrè curari admonuit, quippe ſint illis familiaria, vt docet 3. particula 31. immò Epidemiorum 6. ſect. ſeptima, nephriticos quinquagenarios nullos vidiſſe ſanatos profitetur: & inferius eodem capite Ariſtoteles ait, qui vitio renum laborant, quamquam pingueſcere iuuat, tamen ſi pingues admodum fiant, dolores profectò accidunt læthales, ſupra enim dixerat pingue calidum eſſe, calor autem concoquit, ſuperfluitateſque abſumit, & cum abſumat non detinentur in renum cauitate, & partibus lotio inſeruientibus. E contra verò ſuprema, atque ſuperflua pinguedo non bona eſt, quippe multum humoris procreetur: Galenus de digno-

An pinguedo calculo ſit conſentanea.

tione

tione renum, calculorum poſuit differentias, etenim ſi longus, aſper, albus calculus ſit, maior dolor exoriri ſolet, quam ſi rotundus (lapilli enim differunt magnitudine figura aſperitate) quippe ſæpe præ magnitudine in collo veſicæ, vel medio penis detentus, in extremum periculum doloris acumine patientes ducit, nec vrinas excernere ſinit. Et tandem Celſus lib. 4. cap. 10. retulit vbi renes ſunt male affecti diù eos male habere peius eſſe ſi frequens vomitus bilioſus accedat, nam ſingultus ſuccedere ſolet. Aliàs enim vomitus vim doloris retundere ſolet, vt in parte curatiua dicemus.

Calculorũ differẽtiæ.

Frequẽs vomitio bilioſa mala cum aduematiat ſingultus.

CAPVT SECVNDVM.

De prænotione ratione temporis.

ALtera pars, qua prænotio calculoſa abſoluitur (eſt tempus) quæ non eget longo ſermone, etiamſi reſpectu ſui affectio huiuſmodi reponatur inter mor-

Prenotiones calculi

bos diuturnos, & moleſtos, quoniam reſpectu paroxyſmorum inter acutiſſimos, præcipuè quando dolor non remittitur, immò ſæpè homines paucis horis, propter ſæuitiem ſymptomatum, & lotij ſuppreſſionem necantur, reuerti autem ſolet per qoædam interualla, & periodos, & tunc dolores cruciatusve attingere ſolent vigeſimam, & quadrageſimam diem, plus minus donec aduenia hora partus, vt ita loquar, ideſt vt lapis contentus, ſiue in cauitate, ſiue ſubſtantia renum (dummodo paruus ſit, & aptus meare vreteres ductus) demittatur ad veſicam; eoque modo dolores terminantur; & tandem vna cum lotio ſi non admodum magnus ſit lapillus foras eijci ſolet: calculi enim renum temporis diuturnitate comminui ſolent, quod non ita accidit lapidi veſicæ propter loci diſtantiam, atque duritiem receptam in ea, vt experientiæ clarè notum eſt, & non eget probatione. Altera conſideratio prænotionis ratione temporis, poteſt intelligi hoc modo, vi-

Dolorum circuitus periodales

deli-

delicet quo anni tempore fiant calculi; quod enodauit Aretæus libro ſecundo acutarum paſſionum, capite tertio de Renum affect. Ver ſanguinis profluuia, & abſceſſus parit, Hyems autem, Autumnuſque calculos. Quo anni tempore fiant calculi.

CAPVT TERTIVM.

De prænotione rationis modi.

IN vltima parte, quæ ſpectat ad modum, aſſeritur probabile, & veriſſimum eſſe hoc affectu rarius moleſtari eos, qui ſolutam aluum habent frequenterque vomunt, quàm è contra; ſolui autem ſolet huiuſcemodi morbus, vel per alui ſeceſſum, vel per vrinæ motionem turbulentæ, atque arenoſæ. Etenim cum humor viſcidus, vel quid aliud foras eijcitur, dolorem tolli Auicenna loco citato admonuit; Galenus libro ſecundo ad Glauconem capite primo numerans partes, & loca appro- Prænotiones calculi

priata ad illarum excretionem, thoracem ait, & pulmones per tuſſim expurgari; ventriculum, & ſtomachum per vomitus, inteſtina per inferiores excretiones, locos muliebres per menſtrua, cerebrum, atque eius membranas, per palatum, & gargareonem, nares, & aures, Splenem autem, & renes per lotium; locus igitur opportunior pro calculi diminutione erit via lotij aperta. At Hippocrates alterum ductum docet ſexta particula vndecimo; laborantibus nephritide, ſi ſuperueniant hemorroides bonum eſſe, ſi delirium lethale alibi docuerat, quod multoties vidi eueniſſe propter lotij ſuppreſſionem ratione calculi; vapores enim putridi caput petentes delirium concitarunt, mortemque attulere; ſolet adhuc euenire lotij ſuppreſſio cum delirio in morbis acutis, vtique comatoſis, febribus continuis ob varias cauſas lotij meatus obſtruentes, ex quo ſequitur illud decantatum ab Hippocrate libro de Prænotione. At veſicæ

tum

tum duræ, tum dolentes graue prorſus, & exitiale periculum minantur: maximè autem exitiales, quæ cum febri continua fiunt, nam & ipſarum veſicarum dolores ad mortem inferendam ſatis ſunt; neque alui hoc tempore excernunt, niſi durum quiddam, & coactum, ſoluit autem purulenta micta vrina album, & leue habens ſedimentum, quod ſi neque cum vrina quidquam dolor remiſerit; neque mollior veſica reddatur, febriſque aſſidua, laborantem intra primos morbi circuitus moriturum ſpectandum eſt: nam à parte extra ita pecten durus, & dolens percipitur, vt digito neque tangi, neque comprimi poſſit. Non igitur mirum eſt, ſi in illorum corporum diſſectione reperiantur inteſtina inflammata, omentum liquatum, veſica prorſus labefactata, & ſuo munere non fungens, vt mihi videre contigit Romæ in corporis ſectione puelli D. Matthiæ Spadæ, cui etiam præfuit perilluſtris, & excellens D. Ambroſius Galleanus. Ex quibus nobis colligere liceat

Auctoris Obſeruatio veſicæ durę dolẽtis 1616.

ceat, modum ſanitatis calculi conſiſtere in via lotij aperta; qua clauſa ſimiles affectiones, & ſymptomata oriuntur. Et hæc ſint dicta ſatis in Primo libro pro calculi prænotione, & dignotione.

Finis Libri Primi.

FRANCISCI COLVTII

De curandi ratione Calculum, & eius querelas;

Liber Secundus.

METHODVS omnis curatiua, vt pleriſque in locis docuit Galenus tota deſumitur ex natura morbi; natura verò morbi conſtituitur ex proprijs cauſis, & ſymptomatibus, quare curandi ratio calculi perbellè ſumi poteſt ex duobus ſcopis tanquam fontibus, vt puta à dolore in paroxyſmo, & à remouenda cauſa; ex quibus inſurgit duplex curandi methodus,

dus,

dus, vna in paroxyſmo, altera poſt paroxyſmum, ſed quoniam attendendum eſt ſemper ad id, quod magis vrget, verba primo loco de ea, quæ in paroxyſmo faciemus, deinde de tollenda cauſa, atque de ijs omnibus, quæ ad præſentem nephriticarum querelarum curationem pertinent.

COL-

COLLECTIO PRIMA,

De tollendis ſymptomatibus, ideſt querelis vel cum Calculo, vel ſine calculo varijs rei Medicæ præſidijs.

CAPVT PRIMVM

De aluum cientibus per enemata, & alia præſidia, de anodinis, opiatis, & alijs tollentibus dolorem. Ac affertur locus pulcherrimus Aetij ad curationem.

INDICATIO Calculum curandi in paroxyſmo tota poſita eſt, in remotione ſymptomatis, ideſt doloris, quo quidem ſedato, & mitiori facto, animus conuerten-

tendus eſt ad cauſæ ablationem facientis ſymptoma dolorem, qui tribus modis opportuno tempore adhibitis tolli poteſt. Primò ijs quæ aluum ciunt, vt ſunt enemata, & aliqua quæ per os aſſumi poſſunt. Secundò anodinis, quæ ſunt calida primi gradus. Tertiò opiatis, quæ nullo modo conuenire ſtatim, affirmat Auicenna in curatione colicæ paſſionis; nam potius erunt cauſarum confortantia, quàm eas tollentia (aliàs enim Galenus 2. de locis affec. 5. in principio curationis, calculoſum, & colicum affectum conuenire dicebat). Idcircò aluum ciere enematibus, vel aliquo alio præſidio id præſtante, ante exhibitionem rerum narcoticarum, optimum eſſe mihi perſuadeo, quod comprobatur tum in lib. 3. eiuſdem, fœn. 18. tract. 2. cap. 17. tum etiam ab Hippocrate 6. Epidemiorum commen. 6. aſſerente cibi repletionem vehementius excitare dolores, & præcipuè cum chillus deſcendit ad inteſtina, euacuatis enim, ac expulſis ſuperfluitatibus ex inteſtinis dolores fieri mitiores.

Quam-

Quamobrem primo loco debemus feces detrudere enematibus; hæc verò erunt lenitiua non acuta vocata, qui error à multis medicinam facientibus committitur. Probatur triplici argumento enemata acuta prima vice non conuenire, ſed leuia; prima ratio eſt, quia fruſtratur intentio eorum, qui vtuntur enemate acuto initijs; enim verò acutorum enematum ſcopus eſt humores noxios ducere, ita confeſſus fuit vulgus medentium, quod autem ij non trahantur, & fruſtretur eorum finis eſt clarum, quippe tota vis illius medicamenti ab excrementis frangatur, cum illis non ſit aditus ad partem affectam, ergo fruſtratur ſcopus, & non trahuntur humores noxij, & conſequenter acuta enemata ſtatim nullo modo conuenire videntur. Secundum argumentum depromitur ex Galeno 12. methodi cap. 8. vbi recenſet in doloribus curandis à craſſis, & frigidis humoribus, nil magis metuendum, quàm calorem, qui eos liquat, atque in flatum vertat, & digerere non valeat: nimium enim

An conueniant acuta enemata initio curationis

enim calorem liquare materiam, eſt receptum tum apud Philoſophos, tum Medicos; vnde concludit Galenus conuenire eos incidere ſimul, & concoquere, quod tenuantia medicamenta præſtabunt, dummodo vehementer calida non ſint; acuta verò enemata prima vice non ſunt tenuantia medicamenta, neque parum habent caloris, vt experientia à medentibus pluries comprobatum eſt; & licet eo Galenus loquatur de dolore colico; maximè autem hoc idem confert nephritico, qui quoque fit à craſſis frigidiſque humoribus; initio enim præſidia ſunt communia tam colico, quàm nephritico, vt teſtatus eſt idem: neque vera eſt illorum explicatio dicentium Galenum ibi loquutum eſſe dumtaxat de ijs, quæ ore ſumuntur, non autem de enematibus, quod falſiſſimum eſt, cum vniuerſalis loquutio ſit; Ergo non conueniunt ſtatim acuta enemata, cum flatus maximam copiam generent: Tertia præſumptio ſumitur ex auctoritate Pauli Aginetæ lib. 3. cap. 44. loquentis de co-

lico

lico dolore; ait enim prius aluo ſtercore leuata, congruere poſtmodum clyſteres acutos, eadem ratio eſt de dolore renali initijs, vt nuper dicebamus cum Galeno 2.de locis affect. 5.affirmante ſibimetipſi hoc accidiſſe, cogitanti laborare dolore renali, colico autem laborabat. Ex quibus concluſio fit initio dolorum conuenire enemata communia, quorũ decoctio ſit carminatiua vocata ad flatus, & feces detrudendas, per quæ ſæpe dolor ſedatur, quippe cum adſit tantum flatus exortus à fecum, & excrementorum ſiccitate. Si verò dolores vrgeant deueniendum eſt ad anodina, & enemata acuta, quæ lotium ciant, & ab inteſtinis humores peccantes trahant. Cuius forma hæc eſt, quæ bis, ter repeti poterit, prout opus erit.

℞.Hieræ compoſitæ ℥.vj.
Sy.roſ.ſoll.)
Sacchari rubri) an.onc.iij.
Olei camomellini onc. iiij.
Dñis carm. q. ſ. ſiue iure confettæ ſiue aqua, vt Medico præſenti pla-

placebit cola fiat enema.

Curatio in paroxyſmo.

Altera formula eſt ſi hæc non ſatisfaciat.

℞. Hieræ pigræ onc. j.
Oleũ de ſcorpionib.) an. onc. iiij.
Amigd. d.)
Mellis rõſ. ſoll. onc. iij.
Dñis carm. iure ſiue aqua conſeruæ q. ſ. pro clyſtere.

Fiunt etiam enemata ad mulcendum dolorem vaſa relaſſanda mollienda ex ſolis oleis, videlicet ex oleo Amigd. d. de ſcorpionibus, forma eſt.

℞. Olei amigd. d. lib. j. ſſ. pro clyſtere, vel
℞. Olei de ſcorpion. amigd. d. an. onc. viij. pillularum de cinogloſſa Phylonij Rom. an. ʒ. 5. m. pro enemate.

Verùm ſciendum hæc non fieri, ni excrementa fuerint expulſa per alia enemata ab inteſtinis, quæ maximè ſunt affinia renibus, & cum illis commercium habent vaſa omnia lotio inſeruientia. Interim adhibentur etiam anodina, quæ ſunt fotus, cataplaſmata, inſeſſiones, inunctiones, relaxantia

mem-

membra: fotus formula hæc erit.

℞. Florum camomillæ, meliloti, foliorum maluæ, panatariæ, violarum, capill. vener. ſcabioſæ, an. m̃. j. radicis Altheæ minutim inciſæ onc. ij. Fenugrec. 5. lini, furfuris Aniſorum, an. m̃. 5. Bulliant omnia ſimul in ſ.q. aquæ comm. & olei ſem. lini, vel liliorum alborum, vel camomillini, & ſpongijs opt. expreſſis, fiat fomentatio renum regioni, & cuicumque loco dolenti.

Cataplaſmata, quæ partes emollientia vocari poſſunt, ex panataria malua, veruicis omento, althea, petroſelino, cum oleo de ſcorpionibus fieri poterunt, eaque calida parti dolenti ſunt applicanda. Enim verò cum partes, & corpora ipſorum renum à cataplaſmate erunt reddita mollia, ideſt facilia ad diſtentionem, vt per ipſa tranſire craſſi humores, & arenulæ poſſint, de repente ſedatur dolor; Quibus adhærent inuntiones, quæ etiam facultatem habent aperiendi, laxandi lotij meatus, & calculum frangendi, fieri ſolent vt plurimum ex

 oleo

oleo de ſcorpionibus ſtillatitio, quod eſt acutiſſimæ,& præſtantiſſimæ operationis ex cheirino, Amigd.d.ſ.lini, anetini. Celebratur denique petra ſalaris, vel ſal ipſum excalefactum loco dolenti impoſitum, necne etiam fotus anodinus ex ſolo furfure linteo inuoluto, quod in vas cum oleo camomillino, & Dñe Maluæ, ſiue panatariæ immergetur expreſſo regioni renum ſæpe ſæpius imponendum eſt, mirificè enim aperit partes laxando, & dolorem mulcendo. His euacuationibus,& præſidijs confectis, fit etiam tranſitus ad opiata dum dolor perſiſtit, quæ tertio loco fuere poſita : hæc autem erunt Philonium Romanum, mitridatum, theriaca, pillolæ de cingloſſa narcoticorum omnium celeberrimæ, ſæpè enim iniectis enematibus bis, ter patratis anodinis propter ſæuitiem, atque acutiem dolorum, ſtatim accendendum eſt ad dicta narcotica, quæ conferunt ex parte prouocationis, communitionis lapidis, ſtupefactionis doloris, atque flatum renes comprimentem lapillos, dolores expellunt,

Rerum Narcoticarũ vſus.

lunt, ita teſtatus eſt Auicenna loco citato cap. 19. praxique comprobatum eſt: enim verò tanta eſt præſtantia rerum narcoticarum in lapide renum, & veſicæ, vt aliquando admirabilia oriantur, perlegite quæſo lectores memorabile, & rarum exemplum pillularum de cinogloſſa.

Obſeruatio Auctoris Pillularum de Cinogloſſa in muliere quinquagenaria habente lapidem in veſica, Romæ 1617. Decembr.

DIù mulier quinquagenaria vxor Fabriferrarij, propter lapidem veſicæ à multis vrbis Medicis curata eſt. Ad quam tandem curationem ego quoque accitus fui, qua in viſione cum ægra multa mihi narraſſet, multaque vidiſſem, quæ apertiſſimè declarabant veſicæ lapidem, nihilominus ad tactum cum ſyringa peruenimus præſidio quidem ſatis moleſto, & periculoſo, inuentus eſt lapis in veſicæ cauitate non

Cinogloſſæ obſeruatio Romana.

paruus, quo perſpecto ægrotæ præcepimus optimam viuendi rationem, ſed cum diù noctuque quieſcere minimè valeret recordatus pillularum de cinogloſſa, quę ad calculi dolores præſtantiſſimè ſunt, eas feminæ quinquagenariæ ad ſcrupulum ſemis hora ſomni exhiberi iuſſi, quo peracto quieuit, nocte altera ſubſequenti iterum fuit exhibita pillula denuo ſomno feliciſſimo noctem peregit, altero diè non aſſumpſit ſtatim lapidis ſymptomata acceſſere, quo viſo reiterauimus pillulam; quamobrem cum ægrota tantum adiuuamenis ex illius exhibitione abſq. moleſtia perciperet, vt ſponte poſtmodum perſeuerauerit ad multos dies, attamen vſum interponi quotidianum Aromatario mandaueram, illico dolor ingens reuertebatur, adeò vt ſuo imperio me conſulente, & permittente ad quatuor menſes integros, abſque vlla noctis intermiſſione, eadem quantitate, & methodo peregerit; quo perfecto ſymptomata omnia lapidis remiſſa ſunt, inde poſtea lotium naturale redditum eſt, non

pon-

pondus,non dolor, & cætera alia; verùm tranquillitas,ſanitas ſubſequuta ſunt;atque ſic natura morborum expultrix, in longa quiete vias inuenit lapidi appropriatas,& arti rei medicæ incognitas, ſiue eam alicui parti cauitatis veſicæ affixerit, ſiue liquauerit neſcitur, certum quidem eſt tunc lapidem adeſſe,& modo vitam ducere ſine calculi moleſtia, & lotij difficultate, optima ſanitate fruentem.

At ſæpiſſimè etiam huiuſcemodi dolor tantummodo ſolet fieri à flatu contento in renibus, vreteribus; poteſt enim eiuſmodi ſpiritus flatuoſus renes extendere, & inſignem dolorem afferre, quod optimè cognouit Alexander Benedictus Veronenſis, qui ita ſcribit lib. 22. cap. 6. de curatione nephriticorum, ſi calculi ſigna non ſunt, nec colici notæ, nullaque præterea in renibus grauitas adfuerit, nihilominus grauiſſimi in renibus dolores torquent, tum ij incluſo ſpiritu diſtenduntur, nam ſubito oriuntur, præſertim ſi calidis fomentis dolor remittitur, nam

Curatio nephritici à flatu.

& interdum locum mutat, leuat alui deiectio, vel ventris flatus emiſſus; tunc in his caſibus, ea ſunt adhibenda, quæ flatum diſcutiant, tam infernè cum his quę diximus, quàm ſupernè per os, vt aqua cinamomi ſtillatitia, oleum aniſorum, aqua florum Arantiorum.

Remiſſo dolore q̃d agendũ ſit

Sedato ergo aliqua ex parte dolore, atque remanente difficultate quadam in mictione, necne etiam lotio ſubtili ſeroſo, atque ſpumoſo, ad inſtar bullarum, iuxta illud Hippocratis 7. Aphoriſm. 34. Quibus in vrinis bullæ innatant nephritim: hæ enim bullæ renum affectiones ſignificare poſſunt, non eſt dubitandum tunc temporis ea quæ lotium ciunt propinanda eſſe; quippe ſuſpitio maxima ſit ne denuo dolores acres reuertantur, propter humores viſcidos arenulas, & quid ſimile, quod fore fortaſſe, vt remanſerit in renum cauitate vaſis lotij: (enim verò multoties, & vt plurimum reddito lotio turbato, & craſſo, ſiue lotium cientibus, ſiue naturæ motu, abſque eo quod reddatur calculus, tollitur prorſus omnis

vis querelarum, præſertim ſi antea extiterat tenue); quam difficultatem optimè enodauit Aetius ſermone 11. cap. 5. in calculi curatione: hæc ſunt ad amuſſim eius verba: Porrò ea quæ vrinam ciecient, ac lapidem frangunt, tunc exhiberé conuenit, cum dolores vehementes remittunt; transmoto enim lapide, & ex ſede agitato dolores quieſcunt, quod ſi obfirmati ſint lapides, plurimus potus vitandus, itemque ea quæ vrinam ducunt, fomentis, cataplaſmatis, inſeſſionibus membra relaxanda. Venter per infuſa, ac inſexus euacuandus, ne vreteres meatus vrinam ex renibus ad veſicam tranſmittentes comprimantur; & lenitis, vt ſupra doloribus, non impediente inflammatione, adhibentur cucurbitæ affixæ in renum regione, abſque ſcarificatu vſque ad inguina, attrahendæ obliquè ſecundum ſitum meatuum, qui vreteres appellantur. Nam ſæpè lapillos coaceruatos tranſmouent; & in veſicam tranſuehunt, doloreſque finiunt: hæc Aetius. Cui opinioni adhæret etiam Serapio tract. 4.

Ex Ætio depromitur optima curatio.

cap. 21. in curatione eorum, in quibus lapis generatur, & Ioannes Paſchalius de curandis morbis lib. 1. cap. 47. ex quo tota ratio tollendi ſymptoma dolorem perbellè ſumitur. Noſtrates vtuntur oleo Amig. d. nuper extracto, etiam in ſæuitie dolorum, dummodo facta ſit aliqua alia euacuatio enematibus, nam & aluum, & lotium abſque moleſtia ciere ſolet, iuuat vlterius remiſſa ſæuitie dolorū mirificè Terebinthi, vel terebinthinæ vſus, cum puluere oſſium meſpilorum, eringij de quibus diffusè Dioſcorides, licèt poſt eum egregiè laudes terebinthinæ decantauerit Foreſtus lib. 24. Obſeruat. obſer. 20. in quadam matrona calculo renum, & morbo articulari laborante; & Antonius Muſa Braſauola in examine ſimpl. laudes oſſium meſpilorum.

Terebinthinæ vſus in renum calculo, & Arthritide Obſeruatio.

Obſeruatio Terebinthinæ.

REfert Guainerius calculoſam paſſionem dominam Arthridem, ſeu mor-

morbum articularem diligere, & tantam ſimul cum ea habere affinitatem, vt vna ſine altera, aliquem rariſſimè inuadat. Quibus malis guilhelmina de ooſthoren frequentiſſimè laborabat mulier ditiſſima, & valde delicatè viuens. Vtebamur autem terebinthina ſæpiſſimè ſuperſorbendo cochlear vnum ſy. inf. róſ. comm. cum calidos renes haberet; nam pro renibus expurgandis in hoc caſu terebinthinam vtiliſſimam ſemper inuenimus. Venit enim tunc mihi in mentem Monachus ille, de quo agit Amatus cent. 1. vert. 63. qui cum articulari morbo ſimul, & nephritide corripi ſoleret, & nullo remediorum genere ex multis tentatis benè valeret, tandem monitu Amati aſſiduo terebinthinę eſu, intra ſex menſes liber à dictis morbis euaſit: erat autem terebinthina nucis magnitudine, quam ſingulis diebus ieiunus ſaccharo admixtam deglutiebat. Terebinthina antiquitus pro aluo ſubducenda tantum vtebantur; Neoterici verò eam pro renibus expurgandis, ac varijs alijs intentionibus im-

implendis in vſum traxerunt, vt Amatus in Commentarijs ſuis in Dioſcoridem abundè demonſtrauit, neque diſcrimen vllum inter vulgarem terebinthinam modo bona,& pura ſit facit, & eam quæ à terebintho arbore deſumitur: at difficulter habetur cum vtrique communes, vel pares hæreant paſſiones.

Obſeruatio pulueris, oſſium Meſpilorum in calculo renum.

Obſeruatio oſſium meſpilorũ

ETſi meſpilorum fructus aſtringat, ſeminum tamen puluis lapillos vehementer ex renibus eijcit, vrinam ciet, & veſicæ lapidem minuit, cuius rei nuperrimè experimentum ſumpſi, in Domino Petro de Argenta, qui plures quàm ſexaginta è renibus lapides minxit, ſolo huius pulueris auxilio. In Domino autem Andrea Rodo viro ſolertiſſimo, adeò lapides renum comminuerat, vt in puluerem redacti ſine dolore exirent. Antonius Muſa Braſauola in examine Simpl.

An verò conueniant diuretica,& quomodo conueniant, & alia, hæc comitantia de iſtis inferius dicemus, Tertio Libro.

CAPVT SECVNDVM.

De ſanguinis miſſione in querelis nephriticis, & conciliantur loca Hippocratis, & Galeni de venæ ſectione.

CVm ſæpè ſæpius enarrata præſidia fuerint patrata, & adhuc dolor pertinax ſit, & non remittatur fuit decantatum apud Galenum pluribus in locis, præcipuè 1. Aphoriſ. 23. in maximis doloribus nullum præſtantius præſidium eſſe, quàm ſanguinis miſſionem, ſcatente præcipuè corpore quatuor prauis humoribus, vt admonuit de dignotione, & medic. renum, cap. 4. potius enim incidenda eſt vena ante purgationem, quam purgandum ante venæ ſectionem: quippe ſi per ſanguinis detractionem corpus

In maximis doloribus opportunum preſidium eſt venas ſecare.

prius euacuatum fuerit, purgans medicamentnm exhibitum venas, & arterias, & inanes corporis regiones inuenit non oppletas, cui videtur fauere Hippocrates 6. Epidemiorum, ſectione 6. comment. 7. in doloribus leniendis ſanguinis ventrem ſecare oportet, & eodem libro ſect. 1. comment. 6. poplitem cædere, vrinam cientibus vacuare, attenuare, emollire ait, nam videtur comprobatum apud omnes Medicos, ſicuti Galenum de curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. 18. Cum affectus eſt infra ſeptum transuerſum ſecari venas inferiores, cum ſupra ſecari venas ſuperiores. Idem docuit de dignotione renum cap. citato: ſi enim valida virtus ſit venam, quæ in poplite; vel quæ ad malleolos eſt, aperiendam: ſin imbecillis venam, quæ in cubito; nam ſi virtute debili infra euacuabimus retentrix facultas, quæ eſt imbecillis non retinebit; ſed vniuerſa in præceps rapietur; & partem aſſiduo defluxu impetet ſuccis videl. in locum imbecillem perpetuò procumbentibus, qua propter

De ſanguinis miſſione in calculo, & à quibus locis ſit mittendus.

cum

cum firma virtus eſt conuenit ex vena, quæ in poplite ſanguinem mittere: cum debilis reuellendum eſt ad ſuperiora, ne materiæ plus in renes deriuetur: (etenim natura exonerata à pondere, à quo præmitur, ſi quid videtur expellendum expellit, ſi mouendum mouet). Itaque ſi opus fuerit, venam malleoli ſecare, annuente Galeno conſentaneum videtur; materia enim ex qua lapis generatur in renibus, craſſa, viſcidaque eſt, humoreſque craſſos ſurſum reuellere promptum non eſt, magis verò ad ipſius lationem ſpectantibus deorſum vacuare expeditum, etiam virtute exiſtente debili; ſed in pauca quantitate in primis à brachio, deinde à vena malleoli, ſiue poplitis, quod videtur laudaſſe Aetius loco ſuperius citato. Sed enodanda eſt quæſtio, non ſpernenda inter Hippocratem, & Galenum; nam 6. de morbis vulgarium admonuit prius eſſe incipiendum à purgatione, quàm à ſanguinis miſſione: hæc ſunt verba: Iuuenibus veratrum exhibere oportet poplitem cedere: licèt
aliqui

Veratrum per vomitum,& alui ſeceſsũ vacuat.

aliqui ſint, qui velint illam euacuationem per veratrum intelligi de ea, quæ per vomitum dumtaxat fit, & non de illa, quæ per alui ſeceſſum: ego verò inhæreo vtrique euacuationi, & hæc eſt communis praxis, & intelligentia naturæ veratri, vt in epiſtola Hippocratis ad Democritum de Helleboro,& in Dioſcoride libro 4. colligitur. E contra Galenus de medicatione renum ſentit,prius, & potius eſſe incidendam venam ante purgationem, quàm purgandum ante venæ ſectionem; de quo quæſito multa diſputauit Cagnatus in libello de Medendi ratione vrbanas febres, nimirum an prius in morbis per medicamenta ſit purgandum, an verò per ſanguinis miſſionem; pro cuius rei reſponſione aliqua vera ſunt ſupponenda. Et primò ſupponendum eſt, omni in morbo ſumendas eſſe primarias indicationes ſanguinis mittendi, à morbi magnitudine, ſiue imminente,ſiue præſente,& à virium robore; ita Galenus de curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. 9. Cuius effe-

ctus

ctus eſt corpus euacuare, refrigerare, trahere à centro ad circumferentiam: licèt huius vltimi effectus quæſtio antiquata vigeat in maximo robore apud Medicos, an ſanguis trahat à centro ad circumferentiam. Certum eſt (quod obiter ſit dictum) ſanguinem trahere à centro ad circumferentiam, quæ opinio priſca eſt, non neoterica, vt depromitur ex Herodoto apud Aetium libro 5. de re medica, cap. 130. in curatione exanthematum, & vibicum, de qua re (Deo fauente) in noſtris rei medicæ quæſitis, conſilijs, & reſponſionibus plurima habentur, quæ dietim præparo. Sãguis trahit à centro ad circũferentiã.

Secundò eſt ſupponendum ſi humores in aliquo corpore fuerint æquales, & vtroque auxilio æger indigeat à venæ ſectione inchoandum eſſe ni turgeat, quod raro accidit ſic Auicenna 4. pri capite 4. hoc comprobatum eſt etiam à Galeno de ſanitate tuenda lib. 4. cap. 4. dicente detrahere primò de ſanguine oporret, deinde ſuccum illum, qui ſuperare videtur educere; immò in Paraphraſi

phraſi ad 6. librum Hippocratis de morbis vulgarium, commentario primo, textu ſexto, clarius, & apertius habetur, ſi vtroque præſidio homo indigeat à venæ ſectione inchoandum notiſſimum eſt; nec obſtat ratio illa ſi prius ſanguis mittatur excrementa intra venas regurgitant, & ſanguinem fędum reddunt: quod quidem verùm eſt in debilitato, & laſſo corpore, videlicet à venere, labore violento, in quibus ſanguis bonus exiguus eſt, crudi humores plurimi, ijs nec sãguis mittendus, nec alui deiectio, aut exercitatio, aut omnino motus, aut balneum, etenim inciſa vena, bonum ſanguinem emittit, malum qui in primis maximè venis circa iecur, & quod meſſenterium vocant colligitur; in totum trahit corpus; deiectiones verò in talibus tormina, & roſiones, animique deliquia creant, cum eo quod nec notatu quippiam dignum educant, quando crudi ſunt omnes ſucci ad motum pigri; propter craſſitudinem, & frigiditatem, quo fit vt etiam internas vias obſtuant, quoniam id

Si vtroq. præſidio æger indigeat à venæ ſectione inchoãdum eſt.

id quod medicamentum trahere deberet ferri ad aluum debeat. Itaque nec ipſi educuntur, & alijs ſunt impedimento, vt depromitur ex Galen.4.de ſanitate tuenda, cap. 5.

Tertiò ſupponere debemus, fortius præſidium eſſe ſanguinis miſſionem, quàm purgationem, vnde in affectionibus momentaneis, & periculo plenis à fortioribus inchoandum eſt. Cùm verò morbus dat inducias, curatio tentanda eſt à leuioribus præſidijs, nec eſt ab aliquibus bene intellectum axioma illud, ab vniuerſalibus ſemper eſſe incipiendum. Etenim curatio in morbis inchoanda eſt à noxijs, & moleſtis, ſicuti ſi peccet pituita, quam agentes vitam ſedenſariam coaceruare ſolent, illa euacuanda eſt, & non ſanguis, ſi flaua bilis illa eſt purganda, & non atra, at illud erit vniuerſale, quod plurimi Medicorum dicunt, euacuare à toto, ſiue à parte, non autem phlebotomia. Ex ſuppoſitis concludendum eſt in affectu calculoſo, (cuius gratia hæc dicuntur): ſi humores in

Fortius p̄ſidium eſt ſanguinis miſſio, q̄ purgatio.

Curatio inchoāda eſt à noxijs, & nō ab vniuerſalibus.

corpore malè affecto ſint æquales, prius ſanguinem eſſe mittendum, quàm purgandum, præcipuè verò ſi accedant ſupra latæ indicationes ſanguinis miſſionis: quando verò huiuſcemodi affectio accidit corporibus laxatis, & debilitatis, ſiue à venere, ſiue quocumque alio labore, tunc temporis, nec ſanguinis miſſionem, nec deiectiones eſſe conſentaneas probatum eſt; verùm enematibus fomentationibus ſtupefacientibus, & hanc curationem optimè agnouit Aetius loco poſtremò citato, ſi verò vitioſi tantum ſucci citra ſanguinis copiam ſubſint, purgatio medicamentis petenda eſt, quæ infeſtanti excremento ſit accomodata, vnde ſi pituitæ copia redundet, ea euacuetur ſi atra bilis, ſi flaua per corpus vagabit, opportunis præſidijs erit expurganda, de quorum cognoſcendorum notis non eſt huius loci tractatio, & peritis Medicis facilis eſt cognitio. Quamobrem ex prænotatis manifeſta patet ſolutio ad dubitationem Galeni, ac Hippocratis. Opinio igitur Galeni erat, vt dicebamus

In laxatis à venere, & labore nõ eſt mittendus ſanguis, nec conſentanea è purgatio.

Solutio Hippo. & Gal ad loca allata.

eſſe

eſſe prius ſanguinem mittendum, quàm euacuandum per pharmaciam, ideſt medicamenta aluum cientia, & tunc temporis ſumpſit indicationem duplici modo, vnam à quatuor humorum peccantium quantitate æquali, alteram verò à dolore valde acuto, & moleſto; hoc verò tempore vtroque modo conuenit ſanguinis miſſio, tum ratione ſanguinis abundantis, aliorumque humorum, tum etiam ratione doloris pungitiui, & affectus periculoſi propter inflammationes, quæ has partes comitari ſolent, & idcircò præſtãtius præſidium requiritur quod eſt ſanguinis detractio, quàm euacuatio per aluum apud Galenum. Altera verò quæ Hippocratis erat opinio, iuuenibus veratrum eſſe exhibendum primario, qui quoque duplicem habuit indicationem, vnam ab humore peccante inæquali, & antiqua affectione, vt quid particulare; alteram verò à dolore grauante, ſic indicauit Galenus 6. de morbis vulgar. ſect. 1. in textum ſextum, loquens de hoc affectu, ideoque magis conſentanea pur-

gatio, quàm ſanguinis emiſſio videtur, tum ratione moleſtorum humorum, & antiqui affectus; quod eſt vniuerſale in hoc caſu, tum etiam ratione doloris grauatiui ſine acutie, dantis inducias in curatione, & non petentis ſubitaneum præſidium, quod eſt ſanguinis miſſio, ſed tenuantia humores ad expurgationem, & partes mollientia ad vomitum. Vomitum verò ſæpe eſſe ciendum arte, cum id à natura non perficitur, maximopere laudauit Gordonius in ſua praxi vocata, Lilium Medicinæ, particula 6. capitulo 12. de renum lapide, nam multum ad dolorem tollendum conferre fatetur, vomitum patratum ex raphani decocto, nec ne etiam ad præſeruationem, vt idem notat capitulo 8. de dolore periodali renum propter oppilationem; plura verò pertinentia ad purgationem dicemus infra, in cap. de cauſa tollenda per pharmaciam.

Vomitus eſt cōferēs calculo.

De ſanguinis miſſione ſatis videtur eſſe diſputatum; tamen non eſt ſilentio prætereundum, ſolemne ſummi dictato-

ris

ris edictum 6. Aphoriſmor. 11. nephriticis, ſuperuenientibus hemorroidibus bonum eſſe, & quidem optima ratione, nam cuique notum eſt per has venas expurgari ſanguinis feculentiam, & craſſitiem, quæ habet vim in corpore noſtro, vt fex in vinis, quæ reddit craſſa, humorum enim craſſities eſt pabulum nephriticæ affectionis, adeò vt ea remota, remoueatur cauſa faciens dolorem. Quamobrem imitando naturam morborum expultricem in re medica, non eſt ab re aliquoties hyrundines affigere venis, quæ in ſede ſunt, tum ijs quibus ſolitæ hemorroides retentæ ſunt, tum etiam illis quibus non ſunt familiares, prouocare conſentaneum videtur, addendo id quod recenſet Galenus 4. de ſanitate tuenda, cap. 4. in ſanguinis copia, aut vena incidenda eſt, aut aliquid quod tantumdem valeat agendum, ſanè tantumdem poſſunt hæc, quibus hemorroides ſunt retentæ ſi has aperueris, ſi mulieri menſtrua conſuetudo ceſſauerit hanc ſi prouoces: ſi quibus horum nihil eſt, ſi mal-

Euacuatio ſanguinis in calculo, & dolore per aperitioné venarũ in ſede cũ hyrundinib.

leolus ſcalpello incidas, iſtæ enim vacuationes ſunt vicariæ ſanguinis miſſionis. Conuenire autem aperitionem venarum venis, quæ in ſede ſunt, vlterius præclariſſimè ſignificauit Hollerius in præſenti obſeruatione.

Pro Hemorroidibus Obſeruatio.

Obſeruatio aperitionũ venarũ hemorroid. i calculo.

VIdimus quemdam, qui intolerabili cruciatu renum affligebatur, is enim nulla phlebotomia, nulla purgatione, nullis remedijs topicis potuit leuari, niſi hemorroide aperta, quod enim materiæ reſtitabat in renibus id vrgebat ſimul atque aperta eſt via, quieuit morbus, nec tamen ſequitur quod hemorroides ſtatim mouere oporteat, ſi quis ita affligetur, verùm ſi intumuerint audacius aperiemus. Hollerius com. ad Aph. 2. lib. 6. Hippocratis: & hæc ſint dicta ſatis de ſanguinis miſſione, quod inſtrumentum inſeruit ſymptomati dolori, & cauſæ tolleudæ, de qua infra poſt hæc de balneis.

CA-

CAPVT TERTIVM.

De Balneis, & eorum vſu in Nephriticis.

TRactatum de Thermis, & earum facultatibus, ita diffuſè, & tanta præſtantia, & ingenio diſputauit Baccius, vt non egeat longa diſputatione, tamen nonnulla, quæ faciunt ad rem noſtram de balneis artificialibus in medium afferemus. Balneum igitur, ſicuti eſt antiquum præſidium in re medica, ita in quærimonijs renum, & calculo, vt probauit Celſus, Galenus, & Auicenna locis citatis: Hippocrates loquens de balneo in vninerſum; acutis commentario 3. tex. 58. illi attribuit has facultates, Balneum lateris, pectoris, dorſi, dolorem mitigat, ſputum maturat educit, & facilem ſpirationem reddit, laſſitudines tollit cum articulos, & extimam cutim emolliat, vrinas prouocat, capitis grauitatem ſoluit, nareſque humectat.

Quid de balneo ſentiat Hipp.

Sanctus Auguſtinus lib. 9. Confeſſionum, cap. 12. circa finem, cogitauit balneum conferre ad triſtitiam, & mœrorem, & optima ratione, vt dicemus modò cum Galeno: nam cum ex obitu ſuę matris magna ſe triſtitia, atque animi mœrore afflictum ſentiret, eique in mentem veniret balnei præſidio vti, quod ad repellendam animi acerbitatem prodeſſe putaret; cum à Græcis βαλανεῖον, ideſt Balneum nomen acceperit παρὰ τὸ απο βαλλειν, τὰς ανίας, quod anſietatem pellat ex animo; fatetur tamen ipſe quod talis lotus egreſſus eſt qualis erat ante, quoniam hæc mœroris amaritudo ex illius corde non erat elota; ita refert Illuſtriſſimus Cardinalis Palæottus prima parte de Bono ſenectutis, afferens ſubſidia ad mœrorem. Cauſa verò, vt medicè loquar, non fuit quin balneum non adiuuaret triſtitiam; quoniam illa acerbitas, & animi triſtitia non orta eſt à cauſa interna morbifica, ſed externa conſiſtente in animo, & imaginatione, vt puta à matris obitu, cui mœrori balneum non af-

fert

ſert vtilitatem, vtique neque etiam alia praeſidia, afferre autem aliquid adiuuaminis triſtitiæ ortæ à cauſa morbifica, probat Galenus 3. de locis affect. 7. immò multos laborantes hypocondriaco mœrore, ex ſolo balneorum vſu eſſe ſanatos teſtatur, quippe id mearus aperiat humores attenuet, & ſic fit flatuum exalatio, qui charaćteres ſunt hypocondriacæ affectionis.

Hypocondriacis balneum conferens eſt.

Sed vt redeamus ad noſtrum affectum cum noſter inſtitutus non ſit tractare de balneis diuerſis, eorumque facultatibus, ſed ſolum pro noſtra methodo aliquid neceſſarium recenſere, vtique illud Celſi lib. 4. cap. 10. dicentis ventrem ſoluendum eſſe, deſidendum ſæpe in aqua calida, quod aliud non præſtat, niſi balneum in calculo, & eius dolore. Galenus loco toties citato, aliquibus ante venæ ſectionem, & reliquam curationem balnea admiſit propter doloris ſæuitiem, atque immanitatem, aliquibus nihil eſſe quod vrgeret poſt ſanguinis miſſionem, & reliquam curationem; ex quibus colligere

De balneis cõferẽtib. calculo, & doloribus.

ligere fas ſit, balneum maximopere conferre in quærimonijs ortis à calculo contento in rene, ſiue vreteribns, ſiue veſica, nam & humectat, calefacit, aperit, & lotium cit, quod in dies ſingulos experientia in laborantibus ſimili affectione comprobatur. Et egregiè his verbis declarauit Almanſor de lapide veſicæ, & renum: cum autem in renibus fuerit lapis æger frequenter ingrediatur balneũ, & renes, & ilia ex oleis inungantur, & ea quæ calefaciunt locum deſuper cum panno ponantur, vt ſunt ea, quæ nominauimus; in potu quoque ſumantur ea quæ lapidem frangunt, ad quam auctoritatem multa habet Sillanus. Sed in adminiſtratione horum balneorum debemus eſſe valde diligentes, & ſolliciti; nam dum in illis detinentur ægrotantes, animi deliquia accidere ſolent, aliquibus os ventriculi relaxatur, ora venarum aperiuntur, quippe partes fortiores ad debiliores demittant, vt in noſtro caſu ſunt renes; ideò ſi fieri poteſt corpore ſaltem leuiter purgato melior eſt vſus balneo-

rum,

rum, quàm inexpurgato: idcircò non conueniunt non habentibus vires, neque ijs quibus aluus fluida eſt, neque quibus plus iuſto ſiſtitur, niſi prius ſoluta fuerit, neque laborantibus ſtomachi faſtidio, & vomentibus biliofa, denique neque ijs, quibus ſanguis è naribus profluit, balnea ſunt conſentanea; poſt hæc non edendum bibendum, ſi vires ferant ſaltem per mediam horam. E contra poſt ſorbitionem, & potum non eſt ſtatim lauandum, quæ ſi conficiantur ex aqua potabili humectant, & refrigerant; ex ſalſa calefaciunt, & ſiccant, ieiunio ventriculo mane extenuant, & refrigerant: poſt cibum calefaciunt, & humectant, quippe ea quæ in corpore ſuperſunt in maiorem molem diffundant. Cum ergo in ſimilibus renum querelis parantur, parari debent in cubiculis bene clauſis; in quibus non aura, non prauus odor ſufflet; eaque fieri ſolent aqua dulci ſimplici, ſiue ex idrooleo, in quo poſſunt ebullire, ſi placebit aliqua diuretica; cui balneo moderatè calido æger exponi debet; idest vaſi; quod

Quibus cō ueniāt bal nea.

Diuerſæ balneorū facultates.

Modus ap paratus balnei in dolore, & calculo.

quod tantum aquæ contineat, vt totam renum regionem circumdet; ibique permanere poterit hora integra, media, quadrante plus minus, prout vires ferunt. Vſus verò balneorum eſt doloris hora, tum in vrinæ ſuppreſſione, tum ſtillicidio, & ſimilibus ſymptomatibus à calculis ortum ducentibus, quibus ablatis animus conuertendus eſt ad cauſæ ablationem, quæ non aufertur balneis artificialibus, ni ex accidenti, neque naturalibus, vt dicemus de ijs Libro Tertio. Balnea verò artificialia conferre ad expulſionem calculorum, non vos tædeat, lectores, has breuiſſimas obſeruationes Seuanarolæ lib. 1. cap. 4. de balneis oleaginis percurrere.

Quo tpe balnea ſint adminiſtranda.

Balnei oleagini, quod ſanauit Calculoſum Obſeruatio.

Obſeruationes balneorum in lapide.

ALbertus à Sale miles Ferrarienſis cum calculoſus eſſet, & pluribus in horis calculo vexaretur, meo conſilio balneum olei temperatum ingreſſus, ſic

vijs

vijs mollificatis, & calore naturali confortato, illico à dolore, & calculo euaſit.

Lapis in medio penis eiectus eſt, ex vſu Balnei oleagini Obſeruatio.

AMbroſius miles Piſaurinus, cum lapidem grandem in media virga magno cum dolore teneret, me conſulente, virga ſic in balneo olei detenta, & via mollificata, ſpatio horarum quatuor exiuit, nam de virgæ inciſione apud Medicos ſuos ſpe deſtitutos mentio fiebat. Et hæc de balneis, & de tollendo ſymptomate dolore in paroxyſmo ſint dicta ſufficienter, modo cauſa, vt fieri poteſt tollenda eſt cum ijs, de quibus infra.

COL-

COLLECTIO SECVNDA,

De tollenda cauſa in calculo per exquiſitam victus rationem, vbi affertur text. Hippocr. ſexti Epidem. 6.

DICEBAMVS initio huius libri, curatiuam methodum calculi, ſumi ex duobus ſcopis, vt fontibus à dolore in paroxyſmo, de quo dictum eſt ſatis, & à remouenda cauſa, de qua modo venit agendum. Indicatio cauſam remouendi perficitur duobus etiam ſcopis, vt voluit Auicenna de Curatione lapidis. Primus totus poſitus eſt in prohibitione nouæ materiei facientis lapillos, arenulas, ſuperfluitates, qui ſcopus abſoluitur exquiſita victus ratione, de qua in præſenti ſigillatim eſt agendum, quoniam tota calculi cura-

curatio in hoc ſalutari præſidio poſita eſt. Secundus conſiſtit in ammotione lapillorum, arenularum, & materiei iam fluxæ, quod fit vrinam cientibus, vacuantibus tenuantibus, incidentibus, de quibus infra; vt verò methodo propoſita progrediamur abſoluendus primus ſcopus eſt victus ratione, quæ, vt tritum, conſiſtit in vſu ſex rerum non naturalium deſcripto maiori ex parte ab Hippocrate 6. illo Epidemiorum, ſectione prima, textu ſexto loquente de ſimili paſſione hæc habentur ad amuſſim. *In renem dolor grauis cum cibo impleantur, vomuntque pituitam, cùm verò dolores abundauerint, eruginoſa, & leuiores quidem euadunt, liberantur verò cum cibi euacuati ſunt, arenulæque ruffæ ſubſident, & cruentum meiunt, ſtupor fæmoris è regione poſiti, quieſcere non conducit, ſed exerceri, non repleri, iuuenes veratro purgare, poplitem incidere, vrinarijs mundare, tenuare, ac mollire:* Ex quo textu tota cognitio cauſarum, partis affectæ, ſignorum, prænotionis denique ipſius

Tota curatio calculi tam præſentis quã futuri poſita eſt in ſaluberrimo fonte victus rationis.

Tex. Hippoc. Epidemior.

Digitized by Google

ipſius curationis per tria rei medicæ præſidia deſumitur, nempe per Chirurgiam, Phamaciam, & victus rationem, de duobus primis partim ſupra ſunt explanata, partim infra ſigillatim, modo eſt agendum de fonte victus rationis, quæ multum pollet in huiuſcemodi affectione, & penitus depromitur ab oraculo Hippocratis, dum ait: *cum cibo impleantur*, in qua particula ſermo eſt de cibo ore aſſumpto. Secundo: *cum cibi euacuati ſunt*, qua in parte textus includitur excretio, & retentio (cibi nomen hoc in loco dupliciter conſiderari debet, vt latiùs inferius). Tertiò: *quieſcere non conducit, ſed exerceri*, quod reducitur ad motum, & quietem, & hæc tria tanquam primaria rerum non naturalium aſſignauit Hippocrates pro hoc affectu. Sed quoniam primo loco mentionem fecit ciborum, de ijs vtique eſſe debeant in ſimili paſſione breuiter eſt diſputandum.

In omni morbo tria principalia ſunt animaduertenda in ciborum exhibitione, nimirum ſubſtantia, qualitas, & tempus,

pus, licèt poſſent etiam conſiderari conſuetudo, delectatio, ordo, ætas, quæ omnia non ſunt huius tractationis, ſed ſatis eſt ea delibare. Subſtantia igitur, & bonitas cibi conſiſtit in procreatione ſucci boni, & perfecti ſanguinis, qui autem ſint boni, & mali cibi; de ijs videndus eſt Galenus lib. de cibis boni, & mali ſucci, nos breuiter aliqua deprompta ex Hippocrate eodem Galeno, & alijs grauibus auctoritate viris, ac noſtra obſeruatione pro incepto inſtituto in medium afferemus, & in primis vniuerſaliter loquendo omnis ſubſtantia cibi in calculo laborantibus, debet eſſe facilis concoctionis, vnde aperientia, incidentia laudantur. E contra craſſa, viſcida, flatuoſa damnantur, qui cibi habeant huiuſmodi facultates, qui permittendi, qui negandi in noſtro affectu, ex ijs, quæ infra dicemus, ſigillatim intelligere fas ſit.

CAPVT PRIMVM

De facultate panis, ſpeciebus, & eius electione in calculo.

PRimarius ſcopus in calculoſis eſt aluum lubricam ſeruare, idcirco ratio videtur poſtulare, vt cibaria omnia potius laxandi facultatem habeãt, quàm aſtringendi, nempe ex ſicca aluo flatus procreantur, vnde renum querelæ excitari ſolent. Iure igitur optimo in panis electione, quo vſu quotidiano veſcimur, ille eligi debet, qui aluum ſubducat, non qui ſiccet, & aſtringat: vtique Hippocrates 2. de victus ratione, loquens de panis facultate, ait, Panem ex farina integra, non excuſſa corpus ſiccare, ac aluum ſubducere; purum verò plus nutrire, & minus verò deijcere. Galenus de alimentorum facultate, cap. 2. mentionem facit quatuor ſpecierum panis: Primam vocari ſiliginiam, omnium puriſſimam, à Græcis σιλιγνιτῆς. Secundam, ſimilaceam à Græ-

Species panis Gal. & quæ calculo cóſétanea ſit.

à Græcis σεμιδαλιτῆς. Tertiam, confectam ex farina, non diſcuſſis furfuribus, vocatam συγκομιστός. Quartam, ideſt furfuraceam dictam πιτυρίας. Vnde concludit concoctu inter panes eſſe facillimos, qui plurimum ſunt fermentati, & pulcherrimè ſubacti, ij verò ſtomachum non inflant, leniter implent, ſatietatem duram arcent, corpus agile reddunt, craſſam, & viſcidam pituitam à ſtomacho abſtergunt, placidè nutriunt, & ſæpius magis, quàm cætera nutrimenta placent, quod aliàs idem Galenus docuit de Dignotione renum, cap. 6. cum vales commodiſſimus ſiliginius eſt, cum renum morbo infeſtaris ab hoc abſtine, ſed furfuraceis medijſque tutò vti poteris, quia ad excretionem expeditius ij deſcendunt. Enim verò Auicennæ opinio fuit ex pane minime concocto grauius detrimentum, quàm ex minimè concoctis carnibus ſolere accidere. Ita tertia primi doctr. 2. cap. 7. in fine, & hoc eſt illud vulgatum, quod dicitur omne genus repletionis malum, panis autem peſſimum.

CAPVT SECVNDVM.

De vſu carnium in calculo, earumque electione, & abſtinentia.

CArnes tam quadrupedum, quàm volatilium facilioris coctionis, & meliores augeſcētium ætate animalium, quàm declinantium ſunt; adeò vt in renum affectione, illæ erunt eligendæ, quæ non graues, non craſſæ, non humidæ, & difficilis coctionis ſint, vt bubalinæ, caprinæ, ſuinæ, ceruinæ, ouinæ, hircinæ, eorum verò carnes ſunt inertes ad coctionem flatuoſæ melancholicæ, excrementitiæ pituitoſæ, denique nullam bonam qualitatem habent, vt teſtatur Hippocrates acutorum commentario 4. tex. 98. & ſequentibus. E contra optimæ carnes erunt volatilium, quæ faciliimè concoquuntur, & per corpus digeruntur, exceptis tamen ijs, quæ in aquis, & paludibus vitam degunt, vt anates, anſer; meliores verò ſunt vitulinæ, gallinaceæ noſtrates, ſiue

Carnes q̄ ſint vitandæ, q̄ ampleċtēdæ ī calculo.

ſiue Indiæ, pipiones, perdices, ſtarnæ, faſiani, auiculæ omnes, ficedulę, hortolani. Sed ſciendum eſt illud, & non ſilentio prætereundum, quod Hippocrates docuit in libro victus rationis 2. de carne leporina, nimirum vrinam ciere, non quia ſicca, ſed propria natura, etiam ſi melancholica ſit, infra enim dixerat cibos, & potus, qui calefaciendo ſiccant, neque ſputum, nec vrinam, neque aluum ciere, nam corpus incaleſcens humido euacuatur partim ab ipſis cibis, partim etiam à calore animi in alimentum aſſumitur, & denique partim calefactum, & attenuatum per cutim foras propellitur. Ex quibus colligere licet cibos, & potus qui calefaciunt ſiccando, in mentem Hippocratis vrinam non ciere, quod etiam carni leporinæ eueniret, ni eius formæ, & naturæ proprium eſſet ciere lotium, ſiue vt docet Galenus 3. de alimentorum facultate, quia ſanguinem craſſiorem reddit, ideò lotium ciere; non mirum igitur eſt ſi Iulius Cæſar Scaliger exercitat. 344. numero 8. indubitanter

De carne leporina lotium ciente. Sãguis hircinus, vulpinus, leporinus, lapides frangunt.

affirmet ſanguinem leporinum frangere, & comminuere lapidem renum, & veſicæ, ſicuti hircinum, & vulpinum; cui accedit capreolina caro ad coctionem, & diſtributionem fortaſſe facilior, quàm leporina. Sed eſt adnotandum ſtomachos pituitoſos non eſſe carnium copia nutriendos, vt ſunt eorum, qui calculo laborant, cum facillimè in humorem pituitoſum carnes conuertantur, ita docuit Paulus lib.3.cap.45. copias carnium calculoſis obnoxias, ideò ab ijs abſtinendum neceſſe eſt; neque verò cum carnium abſtinentiam calculoſis commendamus, noſtra intentio erit, vt illi omnino carnium eſum abominentur, & penitus condemnent, hæc inquam, non ſum dicturus, quoniam ad bonam valetudinem non conferunt, ſed dumtaxat illarum carnium neceſſaria eſt abſtinentia calculoſis, quæ ſimili affectioni de directo ſunt contrariæ, vt diximus.

CA-

CAPVT TERTIVM.

De Lacticineis, & eorum vſu in Calculo.

SIcuti fructus ſunt opera plantarum, ſic lacticinia aliquorum animalium terreſtrium, & quoniam breuiſſima methodo egimus de carnibus, aliquid remanet dicendum de fructibus prouenientibus ab ijs, vt ſunt lacticinia, ſub quorum nomine intelligimus caſeum omnem, lac, capilacteum, recottam recentem, & ſalitam. Quamobrem videtur ſtatuendum impræſentiarum nullum lacticinium præcipuè in magna copia aſſumptum conſentaneum eſſe calculoſis, quod docuit Galenus de alimentorum facultate, libro tertio, capite decimo quinto, de lacte ſermonem faciens, lac habens caſeoſam craſſitiem calculos generare ait, quippe obſtructiones in iecore ex immoderato vſu

orientur, flatus generentur, & denique ipſi calculi, immò cap. 17. addit, caſeum ob iniectum coagulum acriorem, calidiorem, ardentiorem fieri, præcipuè inueteratum ad coquendum difficiliorem, & peioris ſucci reddi; & inferius; oſtendimus enim calculos in illis corporibus naſci, in quibus craſſities ſuccorum cum ardenti calore eſt coniuncta: igitur fugiendus caſeus eſt, vt qui nihil conferat, neque ad coctionem, neque ad diſtributionem, neque ad ciendam vrinam, neque ad ventris deiectionem, ceu vtique, nec ad ſucci probitatem; idemque efficit recotta, capilacteum, ſed non ita pollentia, at tamen excrementoſa ſunt, vnde cauſam, cauſæ immoderate ſumpta, & commeſta, ipſa quoque aliquo modo præbent.

Lacticinia à nephriticis ſunt vitanda, præcipuè caſeus.

Sed aliquis poſſet obijcere Hippocratem lib. 7. morborum vulgarium dediſſe, & propinaſſe lac in renum dolore, vt in hac Hiſtoria Clonigi apparet; Abderæ Clonigus cum renum doloribus vexaretur ſanguinem paulatim meiebat, ple-

Hippocr. obſeruatio de lacte in renum doloribus cum inteſtinorum difficultate.

rum-

rumque cum moleſtia,& aluus inteſtinorum difficultate laborabat; huic manè quidem lac caprillum eſt exhibitum cum quinta aquæ parte, ita vt tota miſtura heminarum trium eſſet, ad veſperam autem cum pane aſſato pro obſonio beta, aut cucumis,vinum nigrum tenue.Exhibebatur etiam cucumeralis pepo:hac autem victus ratione, & aluus ſubſtitit, & puræ vrinæ prodibant; in lactis autem potu perſeuerauit tantiſper dum vrinæ reſtitutæ ſunt. Ex quo loco videtur colligi in dolore calculi conuenire lactis exhibitionem. Cui quæſito Hippocratico allato, aperta eſt inſerta reſponſio in ipſo textu: nam tunc temporis lac propinauit in renum querelis exortis, videlicet, ob mictionem ſanguinis,quo in caſu manifeſta aderat excoriatio, vel inflammatio in vaſis ſuperioribus, vt renibus, vel inferioribus, vt veſica, forſan ob diuturnam acrimoniam vrinæ, vel quid aliud, & idcircò conueniebat lac ratione refrigerationis, & ratione abſtertionis ſeri; adde Hippocratem eo tempore ſumpſiſſe

pſiſſe etiam indicationem, ab illa inteſtinorum difficultate, & ſic vna ſimul vtrique affectus requirebant lactis exhibitionem, non conuenire in calculo lactis potionem, iam probatum eſt. Et hęc de lacticineis. Sed audienda eſt doctrinæ gratia Obſeruatio Horatij Augenij libro ſecundo, epiſt. 1. capite 8. & libro nono, epiſt. 1.

Lactis aſinini Obſeruatio ad Calculos.

IVlius Cinus Medicus tradit teſtimonio Seplaſiariorum, qui iureiurando affirmarunt lactis aſinini vſu, libras vigintiquinque calculorum perfractas ex veſica cum vrina prorupiſſe.

CAPVT QVARTVM.

De vſu piſcium in Calculoſis.

DE facultate piſcium, & eorum natura, forma, vſu in re medica, cibis, loco

loco vbi capiantur,& ſpeciebus ita diffuſè, & eminenter diſputauit Vliſſes Aldrouandus Medicus Bononienſis, vt verè dici poſſit ſingularem,& exquiſitum tractatum edidiſſe, adeò vt qui hæc ſcire cupit eum percurrere neceſſarium ſit; attamen pro noſtra methodo eſt animaduertendum piſces in vniuerſum tendere ad humiditatem, idcircò prima facie non videntur conuenire viris calculoſis, ſed cum huiuſmodi affectio aliquibus ſit diuturna, ac ablatis querimonijs diù omninò ab eorum vſu ægri abſtinere nequeũt; quamobrem qui piſces opportuniores erunt, & quæ partes illorum ſint meliores breuiter ſunt percurrendæ; ſcire igitur licet inter piſces alios alijs eſſe ſicciores, alios humidiores, & non aptos ad coctionem, ſic etiam partium alias alijs meliores, & ſicciores. Quo ad primum illa genera piſcium non ſunt apta ad coctionem, nec ad calculum, quæ in cenoſis, & aquoſis locis cibum capiunt, veluti ſunt anguillæ, mugiles procreati in ſtagnis, lacubus, fluuijs, multi enim qui ge-

Piſces qui praui ſunt calculoſis.

generantur ijs in locis, in mari etiam generantur, ſed non eiuſdem ſunt nocumenti, vt probat Galenus de alimentorum facultate cap. 25. quo etiam in loco docuit, piſcium carnem optimam eſſe, quæ in puro mari degitur; & cum ventorum procellis agitatur, nam in quieto, nulliſque agitata fluctibus, tanto piſcium caro fit deterior, quanto minus exercitatur, in ſtagnis autem maritimis (quæ λιμνοθαλάττας appellant) adhuc eſt deterior, & omne huiuſmodi genus piſcium in tali paſſione, cuius gratia hæc dicuntur eſt vitandum. Polipi verò, & ſepiæ cum non ſint leues grauant, eorum verò oua contrita menſtrua mouent, conſequenter vrinam, Ita Hippocrates de morbis mulierum; leuiores ergo piſces erunt ſaxatiles omnes, vt idem habet. Secundò de victus ratione, & Galenus poſtremo loco citato cap. 28. recenſet, piſces ſaxatiles in petroſis promontorijs generari, & vbi ſaxa ſunt deliteſcunt, ac pariunt. Porrò alimentum, quod ex eis ſumitur non modo ad coquendum eſt facile, ſed ho-

Piſces leuiores sũt ſaxatiles omnes.

hominum etiam corporibus exorbendum, illi autem erant tunc temporis meruli, turdi vocati, quorum bonitas, & ſuauitas his noſtris temporibus non videtur apparere, cum alij illos bonitate, & præſtantia ſuperent, ſatis noti apud viros vrbanos. Quo ad ſecundum, quod dicebamus inter piſcium partes, alias alijs eſſe ſicciores verisſimum quidem eſt, partes enim ſuperiores ſiccisſimæ, ventris verò inferioris leuisſimæ ſunt. E contra capita omnia humidiora propter pinguedinem, & cerebrum. Itaque illis ſiccioribus laborantes calculo potius veſci debent, quàm alijs humidioribus, & præcipuè æſtiuo tempore, quia non tantum copiæ ptuitæ generatur, vt hyberno; illud verò tandem obſeruandum eſt, piſces omnes ſalubriores in vniuerſum elixos, vel aſſos eſſe, quàm ſi ij oleo frigantur: vt cætera alia, quæ oleis friguntur, calculoſis admodum contraria ſunt.

Partes piſciũ, quæ ſint ſicciores, & leuiores.

CA-

CAPVT QVINTVM.

De vſu plantarum in calculo, & primò de oleribus, ideſt herbis.

RECeptum eſt, vt plurimum excu-lenta omnia ab animalibus terreſtribus, volatilibus, aquatilibus, & medijs ſumi, ita etiam à plantis, de illis dictum eſt ſupra, locus videtur poſtulare, vt modo de ijs, quæ ex plantis fiant agamus, hæc verò ſunt herbæ, ſub quarũ nomine, olera intelligimus, radices, flores, fructus, ſemina, legumina, de quibus breuiſſime ſigillatim venit agendum, cum de ijs multa Plinius habeat lib. 25. 26. 27. Olera ſi ad bruta referantur boni ſucci videntur eſſe, vt aſſerebat Petronius, ſi ad homines dubitari meritò poteſt, quod modo perquirere non eſt opus, inter quæ aliqua ſunt cientia lotium, vt appium, fœniculum, petroſelinum, menta, ruta, thymũ, lupulus, ſion, ſiue canneia, ſiſimbrium, borago, ozymum, beta, eruca, ſer-

Olera quę lotium ciunt.

ſerpillum, maiorana, ſaluia, ſmyrnium, braſſica, de qua eſt animaduertendum illud Alexandri, hanc non vtilem eſſe ijs, qui caput infirmum habent, qui otioſè viuunt, aut multis cogitationibus deditis, illi neque braſſica, neque eius iure, niſi fortè alius moueatur vtantur; ſæpè enim tum hæc, tum illud ab his difficile, aut vix coquitur, quod oſtendit frequens eorumdem poſt aſſumptionem ructus. Sed præter hæc maximè celebratur aſparagus, qui ventriculo inter coquendum minimè grauis eſt, & modicè calidus, cũ partibus conſtet tenuibus ſanguinem gignit aſſiduè purgationem; idem ſi quid aliud vnquam edulium lotium cit, quam ſanè ob rem non verno tantum tempore, quo in primis viget, illo velim calculoſus vteretur, ſed ad reliquum anni etiam tẽpus inter conditura repoſitos aſparagos ſeruaret, qui planè & nutriunt, craſſis, viſcidis humoribus, ac ab arenis renes expurgant, & liberant, internorum viſcerum obſtructiones tollunt, denique facillimè quoſque humores attenuant.

Braſſica capiti debili non vtilis eſt.

Aſparagus nephriticis conferens.

CA-

CAPVT SEXTVM.

De radicibus, floribus, leguminibus, ſiue ſeminibus lotium cientibus.

PArtes plantarum ſunt radices, à quibus inchoant, meritò de ijs primo loco eſt loquendum, inter quas aliquæ magis, aliquæ minus coquuntur, quippe omnes ægrè liquentur, & ſolidæ ſint, ob id quòd ſtomacho diutius, quàm par eſt hæreant; multum tamen nutriunt ieiunos ventriculos, verùm flatus excitant, vtique eſt rapum renibus laborantibus infeſtiſſimum; nam valdè humectat, & corpus conturbat; & ſic vrinæ difficultatem aliquando inducere ſolet; teſtis eſt Hippocrates lib. 2. de dieta. E contra cimarum decoctio lotium cit; cæpa Græcis κάρτα, aſcalonia, allium, dicuntur lotium mouere, verùm nullius ſunt alimenti, id docuit Galenus de alimentorum facultate; ducit quoque vrinam carota cocta, tã ruffa, quàm rubra, ſicuti & raphanus, immò

Inter radices, quæ ciant vrinam, & q̃ infeſtæ ſint calculo, vt rapum.

A Gal. 12. meth. cępa vocata eſt Crommia cartà.

Carota, raphanus lotiũ ciunt.

immò eius ſuccum exhibemus ad frangendos lapides renum, & veſicæ; atque hæc ſunt aliqua ex radicibus, quæ veniunt ad vſum exculentorum, de ijs verò quæ vim habent frangendi lapides, viam lotij aperiendi, infra latius dicemus Tertio Libro. At quoque flores, (etiamſi raro) pro cibis aſſumuntur, ſed præcipuè in vſu ſunt cicorij, ſaluiæ, roriſmarini, boraginis, bugloſſi, maluæ, qui eaſdem vires habent olereum, vnde proficiſcuntur, quis verò cupit ſcire miram naturam, & varietatem florum, perlegendus eſt Plinius lib. 22. & Theophraſtus lib. 6. cap. 6.

Diximus ſupra pluribus in locis, omnia flatuoſa eſſe vitanda in renum querelis, ſic legumina, vt ſemina flatuoſa, eſſe autem flatus generantia in vniuerſum, atteſtatus eſt Hippocrates de victus ratione in acutis, commentario 4. textu 92. legumina omnia flatuoſa ſunt, & cruda, & elixa, & frixa, tum etiam macerata, & viridia, ſub leguminum voce intelligimus fabas, lentes, caſtaneas, phaſelum, Legumina omnia sũt flatuoſa.

 cicer-

cicerculam, cicer; at de cicere, eſt quid notandum Galeni, eſt quid notandum Hippocratis. Galenus 1. de alimentorum facultate, cap. 22. docuit nigra cicera, atque exigua facultatem habere abſtergendi, vnde calculos minui, quod intelligendum eſt de eius decocto, ſiue iure, vt intellexit Attuarius lib. 2. cap. 5. de affectibus ſpiritus animalis; enim verò, cicera ipſa potius ruſticorum cibaria ſunt, quàm vrbem colentium. E contra Hippocrates de internis affectionibus docet, cum numerat quatuor genera affectionum, quæ renibus aduenire ſolent, inter quæ calculoſa affectio annumeratur; referens totum oppoſitum, vt puta albi ciceris decoctum conuenire calculo laborantibus; hæc enim ſunt eius verba, quæ referre non erubeſco, quippe ab alijs non videtur accuratius enucleatum huiuſmodi quæſitum. Huic quum ſic habuerit, cum ſcamoniæ ſucco, aut radice ipſa, totum corpus prius tamen adhibito fomento aliquantulum purgato, poſtridie verò ex cicerum alborum decocto, ſale

Ciceris nigri, & exigui ius Galenus calculoſis exhibet.

Ciceris albi ius, exhibet calculoſis Hippoc.

ſale iniecto, ad duos congios potui exhibito, aliquantulum purgato, poſt hæc potionibus, edulijs, & balneis curato; pro quo quæſito definiendo adeſt experientia clariſſima, quippe ſi verum fateri velimus tam alborum, quam nigrorum, quam rubrorum decoctum, eundem videtur ſortiri effectum; attamen ſi caſus eueniret, potius alborum decoctum exhiberem, quàm nigrorum, & derelicto Galeno, Hippocraticam ſententiam amplecterer. Adſunt etiam alia ſemina lotium cientia, vtque ſunt cuminum, feniculi, ſemina peponis, aniſorum, nuclei pinei, piſtacea, amigdalæ, piper, coriandrum, &c. de quibus pro analitica methodo propoſita, ſint dicta ſufficienter.

Ciceris ius albi Hipp. eſt, nigri Gal. & eumdẽ ſortitur effectum.

CAPVT SEPTIMVM.

De facultate, & vſu fructuum in calculo laborantibus.

OMnibus tam ex oleribus fructibus, quàm ex arboribus, ſi intem-

L 2 pe-

peſtiuè, & plena manu calculo laborantes vtantur, impoſſibile erit quin turbas ventriculis ij non parant, ratio eſt clariſſima, enim verò duo ſunt tantum genera fructuum: vnum quod citò ſecedit, & putrefit, vt ceraſa mora; alterum quod difficulter concoquitur vtique pira, cidonia, mala, vtrumque tamen grauat ſtomachum, illud quia celerius, & citius putreſcat, quàm hominis natura requirat, iſtud quia difficulter liquetur, immò Hippocrates 3. de dieta, admonuit à fructibus abſtinendum eſſe in vniuerſum; Quibus tamen non obſtantibus, fructus in vſum calculorum dicendum eſt adhibendos, at cum maxima ratione, quæ breuiſſima methodo exhiberi poterit; tritum enim eſt in re medica, cruda grauare ſtomachum, leuare cocta grauatum, & idcircò pira, mala, perſica, cidonia, cinara, præcocea, & alia huius generis in renum affectibus ſunt meliora cocta, quàm cruda; quippe in omnibus patientibus dictas affectiones ſtomachus, vt plurimum debilis ſit; vlterius inter hæc genera

Fructus meliores cocti, quã crudi in calculo.

nera fructuum ſunt aliqua cientia vrinam, & primum locum tenere pepones antiqua res eſt, quod adnotauit Galenus 2. alimentorum facultate, cap. 4. & Serapio de temperamentis ſimplicium capite 233. nam quandam vim habent abſtergendi, cuius beneficio ij vrinam ciunt, & deorſum expeditius, quàm cucurbitæ trahunt, idem præſtant cucumeres, ſed longo temporis ſpatio; laudantur denique ficus, vuæ paſſæ, pruna cocta, ceraſa, mora, fraga, quæ omnia facultatem habent incidendi, tenuandi, cum ventrem ad excretionem irritent, reneſque ab arenis expurgent, vt idem Galenus cap. 8. notauit, & alia quamplurima medentibus ſatis nota.

Pepones ciunt lotium, vt ficus, ceraſa, fraga.

CAPVT OCTAVVM.

De edulijs eximio artificio compoſitis, an ea calculoſis conueniant, & an varia cibaria ſint amplectenda, an ſimplicia.

PRo edulijs eximio artificio compoſitis, intelligimus omnia illa cibaria, quorum in compoſitione, atque apparatu, fit ſaporum, odorum, & rerum diuerſarum maxima miſcela, ac coaceruatio, ideò diuerſimodam naturam, atque facultatem pro varia mixtione recipiunt, vnde ſæpiſſimè à rei prædominio nomen, naturam, qualitatem acquirunt, vtique etiam accidit in rerum naturalium mixtione, & alijs compoſitionibus arte patratis; enim verò edulia iſta varijs modis parantur, videlicet diuerſis carnibus vnà mixtis, piſcibus, lacticinijs, aromatibus, ſeminibus, radicum copia, alijsque varijs ſpeciebus exculentorum, ſaporum, atque odorum; quarum rerum formula conficien-

ciendi ſimilem mixtionem, apparatus ollæ poderidæ ſit ſcheda, deſumpta à Plutarcho in reditu Theſei poſt domitum Minotaurum, admittitur nimirum carnis bouillæ, veruecinæ, vitulinæ melioris, ſummatæ, palumborum, coturnicum, tuberum terreſtrium, turdorum, caponum, gallinaceorum, napi, feniculi virentis, boletorum, cicerum rubrorum, cæparum à Caieta, ficedularum ſuo tempore, hortulanorum à Florentia, carduorum, braſſicæ albicantis, ſalis, & aromatum omnium, quod pro delectabili condimento ſatis eſt, & nonnumquam zucchari inſperſo polline pro guſtabili lenocinio, & harum rerum omnium artificioſum conſertum, & muſicalem harmoniam, non inuenio eſſe ſalutarem laborantibus, & habentibus propenſionem ad calculum, immò quotidianus eorum vſus, ita aliquando corporis vniuerſam molem alterat, & turbat, vt in ſæuiſſimas cruditates, dolores, patientes inducat, quod optimè cognouit Hippocrates libro de flatibus, cum ſcripſit ciborum varieta-

Ollæ poderidæ ſcheda ex Plutarco.

Varietas ciborũ nõ eſt opportuna calculo.

tem, duplici nomine malam rationem viuendi eſſe, aut quoniam pluſquam par eſt aſſumitur, aut quoniam edulia varia, & diſſimilia ſunt, quæ turbas excitant, nec pari celeritate concoquuntur, ideòque idem 2. de dieta damnauit condimenta, quoniam inter ſe viribus diſſident, immò Delius Antiphanes ſolam morborum cauſam, ciborum varietatem exiſtimauit, & Plato 3. de Republica, Homeri teſtimonio, varietatem ciborum muſicæ varietati inordinatę comparauit, quas ſententias ſequutus fuit Horatius lib. 2. ſermonum Satyra 2. tum variæ res vt noceant homini credas memor illius eſcæ, quæ ſimplex olim tibi ſederit, at ſimul aſſis miſcueris elixa ſimul conchilia turdis; dulcia in bilem vertent, ſtomachoque tumultum lenta feret pituita; vides vt pallidus omnis cęna deſurgat dubia? & Satyr. 7. Si nuſquam es fortè vocatus ad cęnam, lauda ſecurum olus, id eſt ſimplicem cibum, ac propterea optima erat viuendi methodus luxuoſa, quam refert Lampridius de Heliogabalo,

Auctores, qui damnant ciborum varietatem.

Luxuoſus ſimplex cibus Heliogabali.

lo, qui vna die non niſi de faſianis tantum comedebat, alia de pullis, alia de piſce, alia de porcis, alia de ſtruthionibus, alia de oleribus, alia de dulcijs, alia de opere lacticinio, alia de ouis perdicum, & hanc viuendi rationem magis conſentaneam eſſe calculoſis teſtatus eſt Plinius Hiſtoria naturalium lib. 2. capite 53. homini cibus vtiliſſimus ſimplex, aceruatio ſaporum peſtifera, & condimenta pernicioſiora, difficulter autem perficiuntur omnia in cibis acria nimia, & auidè hauſta, & æſtate, quàm hyeme difficilius, & in ſenecta, quàm iuuenta, eaque vitanda eſſe conſuluerat ante Ariſtoteles problematum, ſectione prima, probl. 15. ergo & cibi qui inter ſe diſtant corrumpere, inter ſe inuicem queunt, quippe cum aut nuper, aut nondum adhæſerit, qui præceſſerat ad hæc, vt varius cibus grauis (turbulenta enim nec æqualis coctio eius agitur) ſic etiam ijs accidit, à quibus fit aquarum mutatio, etenim omne excrementum à cibo proficiſcitur, ex varijs varia, ex copioſiori copio-

Simplex cibus nephritico conferens eſt.

Omne excremētū à cibo, à varijs varia, ex copioſiori copioſius.

pioſius, ex humidiori humidius, ex ſicciori ſiccius. Ergo neque edulia eximio artificio compoſita, neque varia cibaria calculoſis conſentanea eſſe viſa ſunt, quæ pro temporum varietate, & viciſſitudine in conſuetudinem acceſcere, pro præſeruatione laborantium calculis.

CAPVT NONVM.

De ſubſtantia, qualitate cibi, & tempore cibandi calculoſos.

CVm iam ſatis, & diffusè diſputatum ſit, quæ nam cibaria ſint exhibenda habentibus propenſionem ad calculum, remanet ſtatuendum cuiuſnam ſubſtantiæ, & qualitatis cibus eſſe debeat, quamobrem tenuis ne conuenit, an plenus? adeſt Hippocratica reſponſio pluribus in locis vulgata, nimirum vexantibus doloribus, & paroxyſmis per tenuem victum ſimplicem, paruæque ſubſtantiæ conuenire, vt ſunt iura cum vitellis ouorum, & aliæ ſorbitiones; quando verò dolor

Subſtantia cibi in calculo.

lot remiſſus eſt, quippe vires maximè labefactet, illæ veniunt conſeruandæ, cum diuturna, & pertinax aliquando affectio ſit, tunc verò temporis plenior victus conuenit illius facultatis, de qua ſupra actum eſt. Altera verò conditio ciborum pertinebat ad qualitatem, vt doctum eſt, cum conſiderabatur tria primario eſſe animaduertenda in ciborum exhibitione, vt puta Subſtantiam, Qualitatem, & Tempus. Qualitas igitur in cibis dupliciter conſideratur; primò quo ad tactum, ſecundò quo ad guſtum. Quo ad tactum conſiſtit in primis qualitatibus, idcircò ratione materiei peccantis in calculo; quippe craſſa ſit, potius ſunt exhibendi cibi actu, & poteſtate temperatè calidi, quàm frigidi, calidum enim meatus aperit, obſtructiones tollit, lotium cit: E contra frigidum conſtipat, obſtructiones facere conſueuit, quæ omnimodè in omni morbo ſunt vitandę; Quo ad guſtum, ſpectat ad ſecundas qualitates; ideò in renum querelis ſunt omnia ſalſamenta vitanda, preter ad excitandam appetentiam,

Qualitates cibi in calculo.

tiam,fugienda ſunt oleaginoſa, bellaria, & alia irritamenta gulæ dulcia, amplectenda ſunt acria, acida, quia non implent ora venarum; verùm aperiunt expurgant incidendo craſſos, & viſcidos humores conſequenter conſtipationes, & obſtructiones tollunt. Tertia denique ciborum conditio reducitur ad tempus, videlicet qua hora æger cibos aſſumere poſſit, quæ etiam duplicem habet conſiderationem: Primaria dum torquetur querimonijs, Secũdaria cum idem ęgrotus eſt immunis ab illis,& calculo laborare veretur. Quo ad primam,dum affligitur doloribus receptum eſt apud Hippocratem 11.primæ particulæ aphoriſticæ, in qualibet acceſſione (ni ſimus in cura coacta) à cibis abſtinendum eſſe, ſi quidem cibum propinare noxium eſt,& quibus per circuitus fiunt acceſſiones abſtinere oportet; qua de re laborantibus querimonijs, quam maximè tunc temporis debemus ægros abſtinere à cibis, ſed horam eligere, qua minus ægrotus torquetur; enim verò in huiuſmodi etiam

Hora cibandi calculoſum.

affe-

affectione fiunt circuitus periodales dolorum, nimirum de tertio in tertium, de nocte ad noctem, de die ad alterum diem, vt docetur in praxi lilij Medicinæ particula 6. capitulo 8. de dolore renum periodali, nec ne etiam diximus ſupra in noſtris obſeruationibus. Alterum verò quod quærebatur in ſecunda conſideratione, vt puta cum æger immunis eſt à quauis ſuſpitione dolorum; attamen temperamenti eſt maximè procliuis ad calculum, & illo temporis lapſu iterum laborare veretur: Hora valde opportuna, quæ cibarijs venit exhibenda, cum prior cibus deſcenderit, & iam confectus fuerit, ne fiant, & procreentur cruditates radices omnium morborum, & præcipuè calculi, ſeruando ſemper regulam prius calida propinandi, per ea enim tollitur omnis iniuria, & ſuſpitio morbi, quem frigida facere poſſent, & hæc de ſubſtantia, qualitate, & hora cibandi, ſint dicta ſatis.

Circuitus periodales nephriticorum.

Calida ſemper ſunt propināda ante frigida.

CA-

CAPVT DECIMVM.

De excretis, & retentis in calculo, vbi explicatur particula Hippocratis in Epidemijs, (Liberantur cum cibis euacuati ſunt.)

PRo ſeruanda methodo victus rationis in lapide, fuit à nobis ſuprà allatus textus Hippocratis Epidem. 6. in quo includebatur particula altera, quæ pertinebat ad vſum ſex rerum non naturalium, nimirum excreti, & retenti; erat autem: Liberantur cum cibis euacuati ſunt: Per cibos autem Galenus in commento intelligit primo de aſſumptis cibarijs, quæ vomitu à natura patrato, ſiue ab arte quæſito euomi poſſunt; & hoc tam in paroxyſmo, quàm extra, vomitus enim ordo præſeruatiuus ab eiuſcemodi affectione eſſe ſolet, vt diximus ſupra; cum ratio, & naturæ motus oſtendat, per illum euacuari ſuccos pituitoſos, bilioſos per contraria, ex quo fit, vt leuior natu-

ra

ra reddatur, & maximi adiumenti ſit; quæ explicatio maximopere mihi arridet, aliquando enim parietes ventriculi, ita oppletæ ſunt ſuccis frigidis, vt opus ſit renum multas querelas excitari, & conſeruari, ni eijciantur, ſiue per vomitum, qui facilis aliquibus naturis eſt, ſiue per alui ſeceſſum, licèt multoties per vomitionem liberentur ab acceſſionibus, non ab affectu, vt à Galeno adnotatur (alio modo intelligebat per cibos ibi) excrementa retēta in inteſtinis, ſic etiam alibi Hippocrates intellexit vtique in acutis, cum dixit, Quibus enim cibus in inteſtinis occluſus eſt, niſi quis aluum ducens ſorbitionem dederit vehementer lædet; idem fuit comprobatum ab Ariſtotele 1. de generatione animalium 18. docente, facta eſſe duo receptacula ciborum, & potuum, ſcilicet veſicam, & inteſtina, & vtraque explicatio maximi facienda eſt, cum vna, & altera ad curationem ſpectet; ex vna colligitur, ni vomitus in renum querelis à natura patretur, arte aliquando patrandus in aliquibus tem-

Vomitus ſolet eſſe conferens calculo, licèt liberet multoties ab acceſſionib. nō ab affectu.

Cibus quotuplex intelligitur.

temperamentis; ex altera ni aluus humida ſit, facienda quotidie fluida eſt, præſidijs opportunis allatis : ſiccitas enim alui vapores, & flatus procreat, comprimentes colon, & cæcum inteſtina, affinia renibus.

CAPVT VNDECIMVM.

De motu in calculoſis, vbi explicatur altera particula Hippocratis: Quieſcere non conducit, ſed exerceri.

IN eodem textu Hippocratico fuit appoſita altera particula, pertinens ad genus rerum non naturalium, ideſt motus, & quietis, erat autem huiuſmodi: (Quieſcere non conducit, ſed exerceri) quod intelligendum eſt de quocumque tempore, tam vexante dolore, quàm extra dolorem, ſcilicet ſi æger renum querelas patiatur, & non teterrimis ſymptomatibus laboret, quibus moleſtari ſolet, dummodo frigus vitet, præcipuè circa

pedes

pedes, opportunum illi eſt per cubicula deambulare, nam ſi quid in renum cauitate, ſiue ſubſtantia, ſiue quocumque vaſe ſuperiori continente lotium, vel filamenti, vel viſcidi, vel arenularum, vel ipſius lotij detineatur, motus maximè conſentaneus eſt, cum detrudat ad veſicam, vt partem latiorem, & capaciorem huiuſmodi detentorum, per naturam, ex quo ægri poſtmodum doloribus liberari ſolent, verùm ſemper ante oculos habenda ratio eſt, ætatis, habitus, temporis, & roboris ægrotantis. Hęc eadem particula Hippocratica (quieſcere &c.) intelligenda eſt de motu cum calculoſi bene ſe habent, attamen huiuſmodi doloribus, & affectioni ſunt obnoxij; enim verò per labores, & motus naturæ opportunos, craſſi, viſcidique humores abſorbentur lotium citur, qui motus, & exercitationes fieri debent matutino tempore, & ieiuno ventriculo, non autem poſt ciborum aſſumptionem, vt perbellè notat Gordonius particula 6. capit. 8. de opilatione renum in dolore periodali. E contra

Mot' quo tpe conue niat nephriticis.

tra per otium, & crapulas coaceruantur excrementa in vaſis ſimiles affectiones patientibus. Quamobrem mirum non ſit ſi hodie Romæ,& alibi optimi Medici iubent ijs, qui calculo affliguntur cum lotij ſuppreſſione, à diſceſſu dolorum acutorum carriculas aſcendere, quia ratione illius intercalaris motus, multum arenularum lotij, & lapillorum ad veſicam detruditur, & mingitur, neque denuò aliquid calculi conglutinatur, quæ ſi detineātur partibus ſuperioribus, in vnū coaceruari ſolent, quod pulcherrimè cognouit Areteus lib. 2. acutarum paſſionum cap. 8. in curatione acuti morbi renum. Geſtatiores iſtis,& corporis concuſſiones ad mouendum propellendumque calculum benefaciunt, nam calculorum in veſicam tranſitus ingentes dolores concitat, quod ſi inde exciderint, vt neque per ſomnium dolorem ſentire ſibi videri ſoleant, quin etiam tanquam ex ineuitabilibus malis, animus perterritus ſoluitur.

In lotio retento motus per opportunus eſt.

Ex Areteo cōcuſſiones calculoſis ſunt neceſſariæ.

CA-

CAPVT DVODECIMVM.

De aere, ſomno, vigilia, animi perturbatione in laborantibus calculo.

HIppocrates in textu illo Epidemiorum non videtur loquutus eſſe, niſi de his tribus pertinentibus ad victus rationem, vt puta de cibo, excretis, & retẽtis, motu, & quiete iam diſputatis; verùm quidem eſt, etenim de illis mentionem fecit, vt valde neceſſaria in præſentiarum dolorum; multa verò Medici conſilio relinquuntur, & in vnum omnia non poſſunt cogi, cum alibi, vt offertur occaſio diſputentur; idcircò ſciendum eſt tempore ſanitatis illis, qui calculo laborant vitandum eſſe aerem craſſum, & aptum ad deſtillationes capitis, enim verò à ſimili cœlo maxima pituitæ copia coaceruari ſolet, tum & in cerebro, tum etiam & in ventriculo (vẽtriculum enim communicare ſuas affectiones cum capite, caput cum ventriculo, & ab alijs par-

tibus, vt cucurbitulam trahere axioma Hippocraticum eſt) ex quo poſtmodum ſuapte natura pituitoſiori ventriculo oritur repletio, & morbi fomes; Secundariò fugiendæ etiam ſunt immoderatæ vigiliæ, quippe ex illis maxima copia ingeſtorum,& cruditatum in ſtomacho coaceruetur,vnde multoties dolores teterrimi excitari ſolent. Tertiò ſomnus moderatus nocturnus amplectendus,ſed ſupinus,& diurnus vitandus cum vitiet cōctiones: Enim verò ſomnus nocturnus non minus,quàm alimentum vitæ neceſſarius eſt, immò nox quieti animalium cōdita eſt,de quo optimè cecinit Poeta.

Nox erat,& placidum carpebant feſſa ſaporem
Corpora per terras,ſyluæque,& ſeua quierant
Aequora. cum medio voluuntur ſydera lapſu
Cum tacet omnis ager,pecudes,pictæq. volucres
Quæque lacus latè liquidos, quæque aſperſa dumis

Rura

Rura tenent ſomno poſita ſub rupe ſilenti.

Lenibant curas, & corda oblita laborum.

Denique animi perturbatio, in laborantibus nephritica affectione non parum nocere ſolet, idcircò alacritas animi, lætitia quærenda eſt, vt plurimum enim, qui huiuſmodi affectioni ſunt dediti, humore Hypocondriaco abundant, vt Tertio Libro dicetur: & hæc breuiter ſint diſputata de aere, ſomno, vigilia animi perturbatione; quia hic non videtur locus opportunus de his ſigillatim differere, qui plura cupit, videat Gordonium in ſua praxi, particula 6. capitulo ſupra citato, quo in loco latius de ijs ſit diſputatio.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

De Vinis, & Aquis, quæ veniunt ad uſum calculi: & adducitur locus Hippocratis internarum affectionum de Potu.

LIcèt potus mentionem non fecerit Hippocrates Epidem. tamen alibi mentio facta eſt, dum recenſebat ſimiles affectiones, præcipuè de internis affectionibus, cùm explicat quatuor genera affectionum renum (poſt hæc potionibus edulijs, balneis, vino albo Mendeo curato) idcircò de potu, vt quid neceſſarium tractare propoſui ſigillatim, etiã ſi aliqui velint ſub illa particula (dum cibo implentur) comprehendi, etiam potum quod non eſt ab re, tamen non referatur in dubium, & primario videndus eſt, qui potus conueniat vexante dolore, qui verò poſt paroxyſmum in optima ſanitate, & ſuppoſitis ijs, quæ hucuſque probauimus craſſiora non conuenire

minus

minus craſſis in renum querelis, ni fuerint valde diuturnæ; & adſint contra indicantia, vt ætas, tempus, conſuetudo imbecillitas ventriculi, & partium naturalium, quæ flatus generent, affirmandum eſt vinum non conuenire, præſertim ſi accedat febricula, quæ multoties hos dolores comitari ſolet, vinum enim craſſius eſt aqua, vt omnes fatentur, & pulcherrimè probat Præceptor ille meus præſtantiſſimus, & in re medica celeberrimus Marſilius Cagnatus Riuus præclariſſimi viri Alexandri Petronij, recentioris Romanæ Medicinæ fabricatoris, libro 1. de ſanitate tuenda, cap. 26. & ſequentibus; igitur conuenit aqua cum ſit minus craſſa, hæc autem debet eſſe pura, perlucida, non cenoſa, non ciſternalis, verùm leuis, & nullius ſaporis, & odoris, vt decantat Hippocrates illam eſſe leuiſſimam, & optimam aquam, quæ citò calefit, & rurſus citò refrigeratur, leuitatem certè non pondere exiſtimamus; (quam quæſtionem Petronius tractauit in ſuo Dialogo, an omnes aquæ ſint eiuſ-

Vinũ craſſius eſt aqua.

 dem

dem ponderis, nec ne ?) Sed partium potius tenuitate, & tranſitu, atque etiam quod in ſe ipſam contrarias qualitates recipiat facillimè ; in libro verò de Aëre, & Aquis, docet aquas pluuias omnium tenuiſſimas, ſplendidiſſimas, leuiſſimas, atque ſuauiſſimas eſſe ; quæ ex vaporibus ampliſſimorum locorum optimi, & æqualis, ac ſalubris æris colliguntur, neque tectorum, per quę colantur, neque vaſorum vbi detinentur, neque terræ denique, per quam fluunt inquinamentis inficiuntur ; ſed vtique bibenda eſt, calida ne an frigida ? nulli dubium eſt ablato frigore eſſe potandam aliquoties, pręcipuè in repletis corporibus, & abundantibus ſuperfluitatibus, & in his, qui viſcera debilia habent, vitare oportet frigidũ potum, vt docuit Aetius ad ſermonem 11. cap. 5. ex Archigine (enim verò calidum meatus aperit, lotium cit) in qua fuerit infuſum tantillũ ſaſſifragiæ, ſiue ligni rognonis, ſiue deniq. portiuncula ſaſſifraſſi, ſi nõ adſit febris, nam vrinam prouocat, vt cãtat Durãtes illis carminibus :

Potio calida cõferẽs eſt querelis nephriticis.

Cale-

Calefacit, & ſiccat ſaſſafrax ordine tertio.

Pronouicat, & lotium tum menſtrua tarda laceſſit.

Remiſſa ſeueritate doloris mitioreq. facto, vina eſſe exhibenda omnes concedunt, dummodo non ſit ſuſpitio inflammationis; probat hoc Galenus de ſuccorum bonitate, & vitio, cap. 11. quæcumque vina aquoſa ſunt ac ſubſtantia tenui ea vrinam ciere, corpori alimentum ſuggere, immò vinum moderatè ſumptum vires ſolet alere, ſanguinem inſtaurare, ſtomachum corroborare, ad excitandam appetentiam conducere, vrinam denique, & algorem expellere, quod Hippocrates libro 2. de dieta docet, tenuia, & alba vina valde calculo opportuna eſſe, enim verò lotium magis, quàm aluum iſta ducunt, corpus humectant, ſanguinem imbecillem reddunt: è contra vina nigra, & auſtera ſicciora eſſe, etenim neque per aluum, neque per vrinã ea ſecedunt, neque ſputum mouent, verùm corporis humiditatem abſumendo ſiccant, & ca-

Vina tenuia conferunt calculo, non autem potentia.

& caliditatem inferunt, præſertim ſi ſint recentia, quæ vix à ſtomachis debilibus concoqui poſſunt; quibus accedunt vina potentia, ſiue alba, ſiue rubra, hæc namque vt lapidoſas cruſtas, (quas tartarum vocant) in dolijs relinquunt, ita intra corpus aſſumpta per venas in renes delata, quippe eadem vi prædita ſint, dum per renes colantur ſimili cruſtarum ſpecie renes afficiunt, calculos, & arenulas gignunt, ideò ebrij ferè nulli, qui vinis non aquoſis, ſed vinoſis delectantur, niſi caſu vaſa ſint ampliora alijs viris calculis non laborant, ſic quoque viri venerei, præſertim, ſi eundem vſum vinorum potentium ſequantur, calculis ſemper afficiuntur; qua de re ſcire expedit partes omnes ſupernas, & veſicam, & renes minus læſurum, ſi aquoſum extiterit vinum, inteſtinis verò magis profuturum ſi meracius fuerit.

Vina potentia cruſtas relinquunt renibus.

Sed aliquis quærat, quæ nam ſint iſta vina Romæ tenuia, & quæ nam potentia, erunt potentia, præcipuè, quæ

quæ ab Vrbe valdè diſtant, vt Græcum è ſumma Iſchiæ, Græcum puſillicum, è turre, lacrymum, clarettum ex Gallia, magnaguera, Creticum, Scalea, Corſicum, Veliterna cocta; nam ibi fiunt etiam cruda optima, æquiparanda rebus, quæ prope Romam ſunt, & calculo laborantibus conferentia, vtique Albanum, Caſtelcandolphium, Marinium, Fraſchatium, Anguillare, Bracchianeum, Aricinium, Nemeum, & omnium optimum pro lapide Ienzanium, Caprarolanum, Tolphanum, Oruetanum, & alia quam plurima, de quibus vide Baccium de Vinis totius Italiæ; & hæc ſint dicta ſatis de victus ratione, quæ conſiſtit in ſex rebus non naturalibus à nobis numeratis, de quibus Galenus libro de oculis. Quæ viuendi ratio eſt ſeruanda vexante dolore, vt explicauimus, & à remotis doloribus pro præſeruatione, & prohibitione nouæ materiei fluentis, & facientis lapillos; & quæſo ne miremini lectores, ſi ita in viuendi methodo prolixior fui, nullum enim

Quæ ſint vina tẽnuia, quæ potentia.

Cauſa cur Auctor p- lixior fuerit in viuendi ratione.

enim præſidium opportunius nulla ſalus maior in ſimili affectu moderato cibo, & potu reperi poteſt, moderatus verò cibus, & potus ad naturam valde accommodatus eſt, ſpiritus enim natiuum calorem, corporiſque ſubſtantiam tuetur, & reficit facultates omnes, earumque functiones, corroborat concoctionem alimenti diſtributionem humorum æquabilitatem, & excrementorum propulſionem, motus denique ſenſus mentiſque, vires integras, in columeſque conſeruat; Vna temperantia totius eſt iucundæ, ſalubriſque vitæ moderatrix, nulla calamitate, & ærumna præmetur, qui vitæ fundamentum iecerit temperantiam; immò ad vitam producendam, ac omnem aeris iniuriam ſuſtinendam, ſola continentia, & abſtinentia cibi, & potus, ſaluberrimum præſidium eſt, vt pluribus ex Luciani ſententia probauit Cardanus libello de vita producenda, quod optimè ante cognouerat Paulus Aegineta libro 3. cap. 45. loquens de viuendi ratione in calcu-

lo

lo renum; Hæc enim ſi obſeruetur, non ſolum lapides nondum creatos prohibet concreſcere, ſed etiam iam factos confringere, vel excernere idonea eſt,& hæc de tollenda cauſa per victus rationem, dicta ſufficiant.

COLLECTIO TERTIA,

De tollenda cauſa in calculo per fontem Pharmaceum, & alia præſidia medica.

CAPVT PRIMVM

De Pharmacia.

SCOPVS ſecundarius propoſitus ab Auicenna loco ſuperius citato, in Prima collectione huius Secundi Libri pro ammotione cauſæ, totus conſiſtit in ablatione materiei iam fluxæ, & arenularum, ſiue lapillorum ibi iam coaceruatorum, vtique ſupra mentio facta eſt eo in loco, quo dicebatur, quibuſnam indicatio remouendi cauſam perficeretur; iſte ergo ſcopus abſoluitur cum ijs, quæ

quæ antecedentem cauſam vacuant, attenuant, incidunt, emolliunt, & vrinam ciunt, vt docuit Hippocrates in Epidemijs, de quibus inferius dicemus.

Vacuatio, de qua fit ſermo, tripliciter abſolui ſolet, victus ratione, quæ modo expedita eſt, Chyrurgia, quod inſtrumentum ni fuerit adhibitum in quietiori, ac mitiori dolore venit adhibendum, poſt illorum diſceſſum toties quoties opus erit, vt ſupra explicatum eſt, tertio modo perficitur pharmacia, de qua modò priuatim eſt agendum, quamobrem ſi adfuerit chacomia humorum peccantium illa auferenda, vt ſi peccet pituita maiori ex parte peccans, quæ aliquando degeneratur in pus, ſanguinem grumoſum, filamenta flatus, & hæc partim præſidijs dictis, partim dicendis tollitur iudicio Medicorum expoſitis; igitur pro ablatione antecedentis cauſæ calculi, in primis hæc ſunt præmittenda, ſiue mel. roſ. ſoll. ſiue ſy. roſ. ſoll. ſiue violatus ſoll. abhorrentibus verò à potione poſſunt propinari Caſſia, Diaſabeſten, flos pulpæ ta-

Quæ medicamina calculoſis ſunt propinanda.

tamarindorum, & alia infinita pro hoc munere patrando ſatis nota, quæ an ſint præmittenda ante venæ ſectionem, vel poſt venæ ſectionem, vel hora doloris, iam hactenus hoc ſupra ſignificatum fuit. His præmiſſis, accedendum eſt ad humorum præparationem, & ſpectanda illorum coctio, ſi velimus loqui in mentem Galeni, & aliquorum recentiorum; ſed melius fortaſſe erit in mentem Hippocratis, ideſt morbi coctio facienda eſt, quæ tempore perficitur: & hæc eſt vera interpretatio illius Aphoriſmi 22. primæ particulæ (concocta medicari, enim verò de morbis intelligitur, non autem de humoribus) de quibus diſputationem Cagnati typis citiſſimè habebimus: illa igitur Galeni præparatio fit attenuantibus, incidentibus, atque ijs, quæ lotium ciunt, vt innuit Hippocrates Epid. quod partim perficitur ſerapijs, ſiue iuribus alteratis, partim præſidijs infra dicendis; iura alterata mulieribus nota varijs modis conficiuntur, in affectione de qua agitur, radicibus appij, feniculi, petroſelini,

Coctio morbi tépore perficitur.

lini, althææ, folijs capil. ven. maluæ, boraginis, ſcabioſæ, ſerapia erunt de v. de 2. radicibus de hybiſco, de cicorea cum rhabar. oximel ſimplex, addita decoctione maluæ, anonidis, capill. ven. quæ etiam poterunt admiſceri cum iuribus alteratis ſingulo manc vnciatim, vt præſenti Medico videbitur, facta præparatione toties, quoties opus erit, vel coctione morbi expectata, & tempore perfecta, tunc Hippocrates propinauit Elleborum, ſiue ſuccum ſcamonij, vbi primum membra, & corpora reddita erant apta ad expurgationem. Ex hac enim veratri albi exhibitione, coguntur ægroti ſumma cum anxietate, tum vomere, tum egerere, & propter eius vehementiam ſentiunt ſe ipſos ſtrangulari, oculos è ſua ſede prorumpere, ventriculum, atque inteſtina inflari; & idcircò melior conditio eſt noſtris temporibus, cùm reperiantur mitiora medicamina id perficientia (nam ipſemet Galenus fatetur, & Hippocrat. antiquos diligentiſſimè præparaſſe Elleborum, vt blandè purgaret, Albũ Elleborũ non ritè noſtra tempeſtate ꝑparatur.

ne læderet) hæc erunt rhabar. Ell. Indum Diaphinicon, Diacatolicon, Diaſabeſten, Agaricum pulcherrimè celebratum à Plinio lib. 26. cap. 70. Renibus prodeſſe Agaricum potum, vt in tuſſi, quibus admiſcetur ſy. roſ. ſoll. mel. roſ. ſoll. violat. ſollu. (nam non eſt nouum in re Medica pro certo habere omnia medicamenta ſolutiua, eſſe radicantia vt vocāt) ſunt & pillulæ aggregatiuæ maſticinę, de tribus cum rhabarba. hieræ cum Agarico, & alia infinita, quorum medicaminum ſylua reperitur, quæ exhibentur quantitate, & pondere, quod naturæ ægrotantium perferte poterunt, & hæc hactenus dixiſſe de Pharmacia ſatis eſto.

CAPVT SECVNDVM.

De lotium cientibus, & calculum atterentibus, & reÿcitur veterum lithotomia renum.

QVocumque in loco fit mentio apud Hippocrat. renum affectionum,

num, & præſertim calculi, ſemper ipſe vſus eſt lotium cientibus, vt innuit textus Epidemiorum, & alibi, quæ adminiſtrantur bene corpore purgato, & Medici conſilio, vt Tertio Libro dicemus. Hæc autem erunt terebinthum, vel bolis aſſumptum, vel crematum in lamina, de quo fit puluis, oleum amigdalarum dulcium, Electuarium Iuſtinum celebratiſſimum, & efficaciſſimæ operationis (enim verò multos ex illius aſſumptione vidimus in praxi lapidem eieciſſe) lithontripton, diacurcuma, diacalamẽtum Galeni, ſunt & pulueres calculum comminuentes, vt lapidis ſpongiæ, qui valdè laudatur à Sillano ad Almanſorem in curatione lapidis veſicæ, & renum, florum cardi ſtellati exſiccati, ſaſſifragiæ, lapidis Iudaici, de quo fit mentio apud Serapionem, de ſimplicium temperamentis, cap. 380. quem ſtranguriæ, & renum lapidi, maximopere conferre ait; ideò ab eo vocatur lapis diſſolutiuus lapidis, vſus milij ſolis, vrticæ ne lapides generentur comprobatus eſt à Tuſignano, Virgæ aureæ, quæ mi- Lotiũ ciẽtia fortia.

rabiliter celebratur ab Arnoldo de Villanoua pro calculi fractione, radicis eringij mirum in modum obſeruatæ à Dioſcoridæ libro 3. cap. 21. pota menſes, & vrinas pellit, tormina, inflationeſque diſcutit, vitijs iecinorum medetur, anonidis, oſſium meſpilorum, quæ pulueres aſſumuntur ad drag. 1. vel 2. cum aqua anonidis, ſaſſifragiæ, vel capillorum Veneris qualibet vice, ſiue ex illis fiunt rotulæ in tabellis cum ſaccharo, multa alia tam ſimplicia, quàm compoſita lapidem renum minuentia recenſent Galenus, Auicenna, Aetius, Paulus Aegineta, Ruphus Epheſius locis citatis, Hollerius, Rondericus à Fonſeca, Brutus Luſitanus, Actuarius libro quinto Methodi medendi, c. 6. qui ad confringendum lapidem renum ſimile antidotum affert, vt Nepete, Pulegij, Thimi, Petroſelini, Libiciſti, Nitri, Spicæ Nardi, cum melle conficitur Electuarium. Aliqui recentiorum celebrant ad aſtra Aſellos præparatos ad lapides veſicæ, & renum, qui profectò viri ſatis creduli ſunt: neque enim de

me-

medicamentis ſimpliciter, vt ſcribitur, ſtatuendum eſt(enimverò nullum eſt tam impudens mendacium, quod teſte careat, Plinius lib.8. cap.22.) ſed delectus adhibendus non mediocris, hoc verò ſolius Medici eſt, & quidem valde periti, atque prudentis,eo quòd Auctores multoties contraria typis mandarunt, ſicuti de mentha, quam veneri vtilem,alij nocumentum afferre, alij diureticam affirmarunt.Et inter alios denique adeſt quoque Monardus cap.de Cachos lib.3 ſimplicium Medicamentorum,quę ex Nouo Orbe afferuntur.Hęc de eo habet in præſenti obſeruatione admiranda.

Obſeruatio de Cachos ex Monardo.

CAchos apud Indos magnæ eſt æſtimationis,ob inſignes eius facultates, nam vrinam cit, arenulas, & calculum in renibus pellit, quodque præſtantius eſt illius vſu,calculum in veſica comminui ferunt, ſi mollis adhuc ſit, vlliſque medicamentis comminui queat, eiuſque

Mirabilis obſeruatio Cachos.

rei tam multa proferunt exempla, vt admirationem mihi pariat: nam ea eſt mea opinio, veſicæ calculum haudquaquam expelli poſſe, ſolamque exemptionem illius remedium eſſe, nullum autem medicamentum adeò efficax eſſe, vt eum confringere valeat, aiunt tamen illius ſemen tritum ex aqua aliqua ad eam rem vtili ſumptum, calculum in lutum diſſoluere, quod excretum denuo concreſcat, & in lapideam duritiem conuertatur.

Methodus vt calculus ſit atterendus lotiũ cientibus.

Sed poſtremò animaduertendum eſt in exhibitione rerum lotium cientium, & lapidem inueteratum atterentium paulatim atterendum eſſe, alioquin fruſtrà contendimus exſcindere, præcipuè cum impactus eſt ſubſtantiæ renum, ſic etiam & recentem calculum paulatim frangendum vti faciunt aquæ medicatæ, de quibus in ſequenti capite venit tractandum.

Lithotomia renũ veterum reijcitur.

Neque ſunt audiendi veteres aliqui Auctores, qui iubent calculos renum extrahi ferro, quæ lithotomia renum veterum vocatur, à quo eſſe abſtinendum

docet

docet Serap.in ſua praxi trac.4.c.22. inquiens, ſcias quod quando generatur lapis, vbicumque generetur extractio eius cum ferro eſt timor magnus perueniens ad vehementiam; verumtamen illum, qui fit in renibus, quidam antiquorum Sapientium præceperunt extrahere cum ferro, ex perforatione incidente retro ſuper latus, duorum iliorum in loco renum: ego autem video quod hæc audacia difficilis, vehemens, ſublimis ſuper mortem, propter illam rem, per adminiſtrationem huius curationis: quæ Serapionis admonitio inhæret ſententiæ Auicennæ libro tertio, fœn.18.tract.2. cap.18. ſunt quidam, qui laborant extrahere calculũ renũ per inciſionem ilij, & per dorſum, ſed eſt magnus timor in eo, & operatio eius, qui rationẽ non habet. Cuius timoris, & rei cauſa eſt manifeſta, quia omnia ommiſſa ſunt circa artem curandi per inciſionem, quæ tempore Hippocratis erant exactiſſimè cognita, vt admonetur de internis affectionibus; & ea Galen. prætermiſit, quemadmodũ diſſectionem in

Sectiones Antiquorũ in morbis ommiſſæ.

empyematibus, exhuſtionem in iecoris tumoribus, cranei perforationẽ in aqua cerebri, extractionem lapidis renum per ſectionem, extractionem aquæ intercutis, quam licèt exerceant hodie omnes pereunt, vt mihi contigit videre Velitris: & tandem ſectionem ſupra oculum in ſuffuſione, & hæc fortaſſe mala ex Galeni negligentia orta ſunt. Atque de lotium cientibus hæc hactenus ſint, quomodo conueniaat, an conueniant, quo tempore, de his dicemus in Dubitatione peculiari Tertij Libri.

CAPVT TERTIVM.

De Aquis medicatis pro diminutione, & ablatione calculi renum, præcipuè verò de Aqua Anticoli Campaniæ, ac Romanis acetoſis.

Aquarum medicatarum vſus, frequẽtior fuit apud antiquos, quàm recentiores, & earum variæ fuere ſpecies,

cies, & facultates varijs in locis, plurimis in terris orbis vniuerſi ſparſæ, etenim alibi frigidę, alibi calidæ, alibi iunctæ; alię ratione ſulphuris, aliæ aluminis, aliæ ſalis, aliæ nitri, aliæ bituminis, aliæ acidi ex calcanthina minera, aliæ denique ratione ſolius illarum vaporis proſunt, & varijs affectionibus ſunt accommodatæ, quam caliditatem, ſiue odorem, ſiue ſaporem, ſiue quamcumque aliam qualitatem ſpectantem ſiue ad guſtum, ſiue ad tactum, varij à varijs cauſis proficiſci dixere, multi enim cauſam caloris aquarum voluerunt eſſe ſulphur, alij bitumen, alij alumen, alij ſal, alij viuam calcem, ſuper quas mineras fluentes aquæ caleſcunt, alij flatus terræ calidos inter viſcera interna contentos, vnà cum ipſis radijs ſolaribus coadiuuantibus, alij denique obſtructam terram nimis, & calefactam, vt hyeme ob conſtipationem accidere ſolet, tunc enim aquæ reſpirare nequeunt, quæ non modo calent, verùm aliquibus in locis corrumpuntur, atque putreſcunt, & pro locorum mixturis varios

Vnde proueniat caliditas, & cæt. qualitates aquarũ medicatarũ.

rios ſapores, odores, colores, & calores recipiunt, ſicut in bituminoſa terra, bituminis; in aluminoſa, aluminis; in ſulphurea, ſulphuris; in ferrea, ferri, ſapores, & odores acquirunt, vt docuit Galenus libro 1. ſimplicit. cap. 4. Si aqua per bituminoſa, ſulphuroſa, nitroſa, aut aluminoſa loca diſtillans ſubſtantiæ eius aliquid abſterſerit, ſecumq. traxerit mixta iam eſt. Sed quomodocumque ſit indubitatum eſt, aquas medicatas varijs affectibus eſſe opportunas. Quamobrem perſcrutandum remanet, an aliquæ aquæ medicatæ corpore expurgato renum calculis ſint accommodatæ, quarum vſus apud nonnullos frequentiſſimus fuit; & in primis pro certo habendum eſt, nonnullas aquas medicatas habere facultates renes expurgandi, atque corroborandi, tum ratione inſitæ qualitatis, tum multitudinis aſſumptæ, tum etiam leuitatis, verùm non ratione aluminis, non ſulphuris, non bituminis, non mixtionis, cum alumen, ſulphur, bitumen, mixtio facultatem habeant tartarum creandi, & obſtruen-

Dantur aquę medicatæ, quæ calculos frāgūt pp īſitas qualitates, multitudinem & leuitatem.

ſtruendi renes, vt probabimus infra Tertio Libro, in quæſito An Aqua Tyberina faciat calculum; quod innuit Auicenna libro 1. capite 16. & 2. libro cap. 59. de aqua; Quibus in locis docuit, Thermarum aquas multas eſſe ſtipticas, vt aluminoſas, quæ menſtrua ſiſtunt, conſequenter lotium. Pro qua re intelligenda notandum eſt, vt nuper dicebamus, non omnes aquas medicatas etiam ſi craſſos humores à corpore aliquæ ciant, tamen calculos expellere, & arenulas, cum harum multæ cruſtas, & tartarum renibus relinquant, vtique faciunt vina potentia dolijs, hoc verò probatur argumento inexpugnabili de aquis ſulphureis, aluminoſis, vel bituminoſis, omnes enim aquæ ſulphureæ, & aluminoſæ per loca, per quę labuntur, conficiunt, & relinquunt ab extra, hinc inde tartarum ſulphureum, ſiue aluminoſum, ſiue bituminoſum, vt videre eſt in omnibus aquis ſulphureis, & prope Romam, viæ Tyburtinæ, per quam labitur aqua ſulphurea, in ipſius verò alueo pulcherrimè adeſt tartarũ ſulphureum; ergo

Aquæ ſulphuratę relinquunt tartarũ renibus, vt etiam aluminoſæ.

ergo non conueniunt aquæ, quæ habeãt vim ſulphuris, & aluminis ad ciendos calculos, quippe illæ relinquant renibus tartarum, vt faciunt alueis; vlterius omnes huiuſmodi aquæ quo ad tranſitum, ſunt craſſiſſimæ, & ratione craſſitiei non ita facile permeant, vt ſcire eſt ex ijs, qui eas aſſumunt, nam horum multi illas cõcoquere nequeunt, quippe per vias lotij non reddantur, quod aliqui dicere poſſent hoc prouenire ob multas cauſas, tum ventriculi, tum cęterarum partium naturalium male affectarum, quæ non ita facile expurgationes recipiunt; & ideò non vnica vice, ſed pluribus vicibus repeti debent, cum corpora ſint cachochima, & non vnicæ expurgationi obediãt, quod quidem concedi poteſt; etenim ſi per renes eæ permearent tartarum relinquerent, quod deterius eſſet, vt faciunt alueis.

Omnes aquæ leuiſſime, & acidulæ calculos ciũt, & citò pmeant per renes, vt eſt Anticoli Campaniæ.

Opportuniores igitur, & meliores aquæ erunt ad arcendos calculos, leuiſſimæ, & acidulæ, vt noſtro tempore adeſt aqua Anticoli Campaniæ diſtans ab Vr-

be

be quinquaginta milliarijs circiter, antiquum Oppidum eſt Illuſtriſſimæ, & Excellentiſſimæ familiæ Columnæ, quæ ita leuis eſt, vt vix ventriculo percipitur, & facillimè per vias lotij redditur, id verò non accidit alijs multis aquis medicatis acidulis, quod acidum tunc aliquibus videtur apparere cum calefit, & vix cognoſcitur, quamobrem ratione leuitatis, & acidi adumbrati, conuenit ijs præcipuè quibus ventriculus humidus eſt; nam acidum ſi eſt, quod non cognoſcitur cum leuitate iunctum humores craſſos, qui ſunt cauſa calculi exſiccare incidendo ſolet, quæ perfrigida, odoris, & ſaporis expers eſt, limpida, & maximè leuis. (Neque verò eſt abſurdum aquas medicatas eſſe frigidas, & frigidas potandas, vt patet de aqua nocere, & alijs vtique probat Auctor de Thermis libro 4. E contra, non omnes aquas, quæ ſunt calidæ, medicatas eſſe credendum eſt, docuit Plinius lib. 31. cap. 6.) qua populus omnis Anticulanus pro potione quotidiana vtitur, tū pro dilutione vini, tum

in

in cibarijs coquendis; denique vtrumque ſumatur exſiccat, & corpora gracilia reddit calculoſque renum minuit, id verò tribuitur naturæ illius aquæ non multitudini, nam ni tribueretur eius naturæ, hoc etiam præſtare poſſent cæteræ aliæ aquæ, quod falſiſſimum eſt, etenim ſi copia aquarum medicatarum calculos detruderet, & non inſita facultas, hoc etiam copia aquarum dulcium polleret, & vix vnus reperiretur, qui huiuſmodi morbo eſſet affectus, cum caſu, & fortuna accidat homines ſæpè ſæpiùs aquis repleri, & tamen calculos non expelli; cuius opinionis fuit Alexander Petronius, in omnibus rebus vir celeberrimus, de victu Roman. lib. 2. qui omnem facultatem, & omne id quod pollent aquæ medicatæ pro arcendis lapidibus, non propriæ aquarum naturæ, ſed multitudini deberi, & magno impetui, cum immodicè potantur, ſicuti procelloſæ aquæ ſuper terram irruentes ſaxa intra cloacas exiſtentia in fluuijs trudunt, ſic calculos extra corpus ab ijs expelli,

Arcere lapides à renib. nõ eſt multitudinis aquarũ, verùm inſitæ qualitatis.

quod

quod argumentum facillimè proſternitur, quippe non maior ratio eſſet aquarum medicatarum, quàm dulcium, & ſic medentibus liceret exhibere dulces conſuetas, non verò medicatas, cuius rei praxis eſt in contrarium; Igitur ſuæ naturæ proprietas eſt nō multitudinis; Calculos arcere nullibi dubium eſt, ductus dumtaxat àb obſeruatione antiqua, & vera, Anticulonos renum calculis, & querelis non tentari, quod eſſet impoſſibile tanta temporis diuturnitate, aliquem non fuiſſe, qui huiuſmodi affectione non laboraſſet, hoc autem ipſi Anticulani, & Medici, qui eo in loco medicinam fecere confitentur; adde experimentum quotidianum, cuius gratia tot, tantique priſtinam ſanitatem recuperarunt, quorum hiſtoriæ referre ſuperuacaneæ videntur, apud Medicos præſertim illius aquæ cognitionem habentes.

Cur non oẽs ſanentur ab aſſumptione aquarũ medicatarum.

Sed aliquis poſſet obijcere cum Petronio, cur non omnes penitus ſanentur cum aliquibus, ab aſſumptione huiuſmodi aquæ, vel aliarũ, per interuallum affe-

ctio

ctio reuertatur, vt poſt biennium, trienniũ, quadrienniũ, decennium. Cui obiectioni facillima eſt reſponſio, & in primis dicimus hoc non oriri ratione aquæ, neque ex hoc ſequitur non omnes ſanantur; ergo non cit calculos de ſua facultate, & natura, ſed aſſumptionis copia, quod falſiſſimum eſt. Cauſa verò, & ratio cur non omnes ad ſanitatem perfectam perducantur, eſt multiplex; nam hoc accidere poteſt quippe viſcera interna ſint ita male affecta, videlicet renes, vt non vnica vice ab exhibitione illius aquæ ritè, & perfectè ſanentur; Adde illorum temperamentum, non ita facile excipere huiuſmodi aquas, & ſic vni poteſt iuuare, alteri non tam facile, quod præſertim hoc à Medico eſt animaduertendum; ſiue lapis ita egit altas radices in renibus, vt egeat diuturno tempore pro illius diminutione, lapides enim inueterati non facile atteruntur; cum forſan etiam accedat vinendi mala ratio, quæ nedum creatos conſeruat, verùm creandos coaccruat, & ſic per interualla

ualla aliquãdo dolores reuertere ſolent, cum adſit mala renũm diſpoſitio, quæ diuturna victus ratione præſeruari debet, verùm omnes potantes confitentur maximum adiuuamen ex illius vſu, & exhibitione percipere.

Modus exhibendi huiuſmodi aquam eſt duplex, multi Romam eam aſportari faciunt, & alibi ęſtiuis temporibus, quando alijs aquis non miſcetur, illaque toto anno pro dilutione, vini, & quotidiana potione vtuntur. Aliqui eo petunt, ibique per 20. vel 30. dies menſe Iulij, ſiue Auguſti morantur eam aſſumentes frigidam ad quantitatem duarum, trium eminarum, plus minus pro ægrotantium natura, & temperamento, vt ſignificauit Auerroes 8. Phyſic. comment. 25. ad actionem agentis neceſſariam eſſe certam quantitatem, qua deficiente, actio non eſt, ſi quidem poteſt eſſe ſicuris tam parua, vt non poſſit ſcindere, adeò vt ex hoc axiomate colligatur, & verum ſit dicere, vbi eſt maius eſſe temperamenti, ibi eſt maius operari in quantitate aquæ, quàm

Vt exhibeatur aqua Anticuli.

O facil-

facillimè abſque vllo ſymptomate pòtantes reddunt, dum reuertuntur ad oppidum, diſtãs milliario vno ab huiuſcemodi aqua, illamque frigidam exhiberi poſſe, habemus præter dictos Auctores experimentum clariſſimum, & vlterius accedit etiam auctoritas Hollerij lib. 1. cap. 48. qui corpore purgato, & viſceribus bene affectis, & ferentibus quauis hora etiam in ſęuitie dolorũ, exhibet frigidam aquam largiter; nam calculos aliquando expulſos fuiſſe ab aquarum copia frigida docuit; quanto magis ſine dolore, & Anticoli aqua frigida, æſtiuo tempore, exhiberi poteſt? qui modus pro ſanitate recuperanda alijs tutior eſt, nam illis diebus, quibus aſſumitur tam in dilutione vini, quàm mane tãta copia, renes à craſſo lotio, viſcidis humoribus, arenulis, lapillis expurgantur, cùm maximam vim abſtergendi habeat; adde intemperiem (dummodo optima victus ratio ſeruetur) alterari atque tolli, quæ ſemper, & vt plurimum ni radicitus auferatur calculos denuo patrare ſolet; quando verò

O Ro-

Romam, ſiue ad alia loca eſt delata, maximum quidem à patientibus adiuuamen percipitur, immò ſanantur; tamen primæua illa qualitas inſita, non ita præpollēs eſt, licèt idem ordo, & modus quo exhibetur eo in loco, vbi aqua manat tēpore matutino, ſeruari etiam poſſit locis, quibus defertur, calculoſis exhibendo eandem menſuram, & quantitatem, ac ſeruando ſemper regulam id conuenire æſtiuis temporibus, menſe præſertim Iulij, ſiue Auguſti; alijs enim tempeſtatibus vſus illius aquæ dumtaxat eſt pro vini dilutione, & potionibus ſolitis, & conſuetis, atque hac methodo ſeruata penitus renes ab arenulis expurgantur, & intemperies tollitur.

Aqua Anticoli Romā delata, vel ad alia loca, vt exhibēda ſit.

Sunt aliæ aquæ medicis frequentes, & familiares pro hoc munere, ſicuti aqua villæ præclariſſima, quam pluries ſum expertus, & facillimè reddi ſolet eadem celeritate, vt prædicta Anticoli; Ficoncellæ etiam præſtantiſſimæ, in quarum primis ciathis exprimi poterit, aliquoties tantillum ſucci lymonum, ſi Romæ, vel a-

Diuerſe aquæ pro renibus.

libi extra balnea potentur, Noceræ ſacra vocata, Capranicæ atramentoſa, ſub Apono Patauinæ, quas Caſſiodorus docet ſine dolore, & labore patientes liberare, & leuare; & denique Ludouicus Paſſinus de Aponenſibus aquis, pulcherrimè agit, vt in hac hiſtoria retulit.

Obſeruatio Aquarum Aponenſium.

QVòd ex potu aquarum mineralium ſanantur calculoſi, locupletiſſimus teſtis eſt Speronus Speronius nobilis Patauinus, qui ex potu aquarum Aponenſium ex toto liber euaſit à calculoſa affectione:

Hoc benè contextor quidam cum mingere vellet,
Euomuit lapides virga coacta duos.

Aqua Galliæ, quæ febres tertianas, & calculos diſcutit, necne etiã aliæ, alijs affectionibus accommodatæ.

Reperiuntur etiam aliæ inſignes varijs in locis Italiæ ſparſæ, ſicuti vnius celeberrimæ mentionem fecit Plin. lib. 31. cap. 2. in quadam Galliæ ciuitate vocata Tingri, quæ habet fontem inſignem plurimis bullis ſtillantem, ferruginei ſapo-

ris,

ris,qui nonniſi in fine potus intelligitur; hic corpora purgat, tertianas febres diſcutit,calculorumque vitia tollit,cuius aqua ſi igni admoueatur turbida fit,ad poſtremum rubeſcit; adſunt & aliæ infinitæ diuerſis affectionibus ſalutares,vt ſulphuratæ neruis, aluminatæ paraliticis, ſed menſtrua, & vrinam ſiſtunt, ferreæ ſpleni,,& iecinori,bituminoſæ,& nitroſæ purgationibus, Ciceronianæ ex Plinio oculis,&c. nam digna memoratu, villa eſt Auerno Lacu Putæolos tendentibus impoſita littori celebrata porticu,ac nemore, quam & vocabat Marcus Cicero Academiam ab exemplo Athenarum, ibi compoſitis voluminibus eiuſdem nominis, in qua & monumentum ſibi inſtaurauerat, ceu verò non, & in toto Terrarum orbe feciſſet. Huius in parte prima exiguo poſt obitum ipſius,Antiſtio vetere poſſidente, eruperunt fontes calidi, per quam ſalubres oculis celebrati carmine Laureæ Tullij, qui fuit è libertis eius, vt protinus noſcatur etiam miniſterium eius ex illa maieſtate. Ponam enim

ipſum carmen dignum vbique, & non ibi tantum legi:

Ciceronianæ aquæ ꝑ oculis.

Quo tua Romanæ vindex clariſſime linguæ,
Sylua loco melius ſurgere iuſſa viret.
Atque Academiæ celebratam nomine Villam,
Nunc reparat cultu ſub potiore vetus.
Hic etiam apparent lymphæ non ante repertæ,
Languida quæ infuſo lumina rore leuant.
Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope.
Vt quoniam totum legitur ſine fine per orbem
Sunt plures oculis quæ medeantur aquæ.

Romanæ Acetoſæ.

Et vt alias omittam Romæ multæ acidæ pro tollendis vitijs renum adſunt celeberrimæ vti apud Sanctum Paulum in agro cui nomen Valeranum, aqua clara, & frigida fluit verum acida, ſic & altera eſt in valle marmorea Sancti Ioannis

nis ſacra vocata, diſtans ab Vrbe duobus milliarijs, iuxta viam Appiam, odoris expers, ſed acidula; denique quæ hodierna die mirabiliter Romæ celebratur, & frequens eius vſus eſt, Aqua acetoſa appellatur, extra Portam Flaminiam, ad riuam fluuij, in valle appellata parioli, diſtans ab vrbe vno circiter milliario, ditata his duobus carminibus, cum inſigni Pontificio S.D.N.Pauli V. P.O.M.

Renibus, & ſpleni, ſtomacho, iecorique medetur,

Mille malis prodeſt iſta ſalubris aqua.

Verùm neque hæc tutior alijs eſt renibus, immò difficilior eſt ad tranſitum, cum præter aciditatem craſſa ſit, quippe vim adhuc ſulphuris, vel aluminis retineat, quæ potius materiei ad renes ductrix eſt, quàm expultrix, vt multæ tam mulieres, quàm viri, qui eam potauere, confeſſi ſunt, atque quotidie, vt ſe offert occaſio confitentur; immò qui nequeunt reddere, obſtructiones partibus naturalibus facere conſueuit, vt Vrbis Medicis notum eſt. Et hæc dicta ſufficiant de

aquis medicatis, in gratiam tamen aquę Anticoli Campaniæ, omnium in renum, & veſicæ calculo præſtantiſſimæ, ac celeberrimæ.

CAPVT QVARTVM.

De amuletis in calculo renum, quæ agunt à proprietate, & ſympathia.

Amuleta vt agant.

ARchigenes multoties mentionem fecit,& ſcripſit de amuletis,vt habetur ex Galenò, de remedijs paratu facilibus,per amuleta verò appellata,quorum priſca eſt tractatio aliud non intelligebat,niſi id quod à Græcis dicitur περίαπτα, ideſt quidquid alicui parti alligatur, & per proprietatem occultam, & ſympathiam in obiectum agat, licèt de ijs varia à varijs fuerint prolata, ſicuti Plinius vocarit pacem, & bellum,odia, & amicitias in rebus nudis, & ſenſu carentibus (quod Græci appellauere ſympathiam), pari enim ratione ignis aquas extinguit, Sol aquam deuorat, altero alterius

terius iniuria deficiente ſydere, & recedendo à ſublimioribus, adamans nulli cedit, niſi ſanguini hircino; quid ferri duritia pugnacius? & tamen cedit patitur mores, trahitur enim à magnete lapide, domitrixque illa omnium rerum materia, ad inane neſcio quid currit, atque vt propius venit aſſiſtit, teneturque & complexu hæret, ſuccinus calefactus attritu digitorum in ſe paleas, & folia arida recipit, torpedo ſtupefacit manus piſcatorum, diaſprum fronti, ſiue collo alligatum ſanguinis fluxum ſiſtit, lapis cui naturaliter impreſſi ſunt morbilli valet ad ſæuitiem, & acutiem illorum, & alia quamplurima habentur, de quibus Galenus,& alij varijs in locis,ijſque inanimatis cum animatis, & è contra antipatiam,& ſympathiam inſeruit, non igitur mirum ſit, ſi tanta proprietas occulta à natura parente donata fuit Iſciadæ lapidi,delato ex Hiſpania coloris cinericij, vel huiuſmodi generis non adulterati, nimirum frenandi renum querelas,laxan di vaſa conſtructa pro lotio continendo, quam-

Vt trahatur ferrũ à magnete lapide.

Iſciada lapis conferens calculo.

quamobrem qui eum aſportant parti affixum, qua ren afficitur, lotium cit, arenas pellit, calculos minuit, vaſa emollit, dolores mitigat, & hoc non alia de cauſa ni propter ſympathiam, quam natura poſuit in ſenſu carentibus hominis beneficio, licèt à multis hoc tribuatur qualitatibus primis, & ſecundis, non proprietati occultæ, & ſympathiæ, quarum rerum diſputatio non huius eſt loci, & iam eſſet abſolutus tractatus de renum querelis, niſi aliqua ſupra tetigiſſemus, quæ peculiares, & pulcherrimas quęſtiones requirunt, de quibus breuiter, vt ſolemus diſſerendum eſt, vt finem tandem imponamus huic tractationi, ne prolixior ſim, quàm res poſtulet. Et hæc hactenus ſint dicta ſufficienter de Curatione.

Finis Libri Secundi.

FRAN-

FRANCISCI
COLVTII
De quibuſdam Dubitationibus comitantibus renum, veſicæ, calculos, & querelas.

Liber Tertius.

VT perfectiſſima tractatio omnium frequentiorum affectuum, tum renum, tum veſicæ traderetur, neceſſarium maximè fuit his duobus Libris hunc Tertium adnectere;in iſto enim Dubitationes pulcherrimæ,quę vt plurimum Romę,& alibi accidere ſolent,ſpectantes tum ad querelas nephriticas, tum & ad cætera vaſa lotij per-

Digitized by Google

perbellè enucleantur; & ſi fore fortaſſe aliquid præſenti operi deeſſet, Lectori ſcire liceat, à me initio admonitum eſſe, hos renum, & veſicæ affectus, laconica methodo percurrere voluiſſe, non verò fucis verbis, ac ornata, & longa ſerie, vt ab aliquibus fieri ſolet, & ne tempus in his narrandis conteram, veniamus ad Aquam Tyberinam.

D V-

DVBITATIO PRIMA,

De aqua Tyberina, & aliꝭs aquis.

An frequens vſus Aquæ Tyberinæ temporis lapſu, arenulas, & calculos creare poſſit: Conſequenter quæ ſint optimæ aquæ Romæ, & alibi.

TYBERIM mercatorem placidiſſimum rerum in toto orbe naſcentium, ob copiam, & diuerſitatem aquarum; quamlibet magnarum nauium ex Italo mari capacem, argutè vocat Plin. Natural.Hiſtor.lib.3.cap.5. Cuius aquarum copiæ ſunt ita variæ, vt diuerſas affectiones earum vſu temporis lapſu procreare neceſſarium ſit, quippè non ſolum riuuli, ſtagna, lacus, & piſcinæ eum pro-

Tyber mercator placidiſſimus vocatur à Plin. Quot genera aquarum ingrediantur eundem.

procreent, verùm fluminibus quadragintaduo augetur ſi credendum eſt Plinio, præcipuis Nare, Aniene, & Clanis, ex quibus nauigabilis redditur, vt idem teſtatur, cui adhæret Auguſtinus Stheuchus, qui copiosè ad Paulum Tertium Pont. Maximum, de his ſcripſit, quorum copijs fluminum, diuerſæ aquæ & aluminoſæ, & ſulphureæ, & craſſæ, & viſcidæ, & mali odoris ſunt mixtæ, quarum in mixtione aliquid facultatum in ſe retinere potentialiter verum, & clarum eſt; pro qua re intelligenda, & declaranda, nimirum qua in aqua, ſiue in fluuio adeſt miſcela multarum, & diuerſarum aquarum ibi potentia retineri illarum facultates, nobis accedendum eſt ad principia philoſophica de mixtione, & ad alia medica primordia.

Notandum eſt primò, certum eſſe vt voluit Ariſtoteles de Generat. & corrup. lib. 2. tex. 2 o. prope nos non dari Elementa pura, ſed omnia mixta: igitur & aqua prope nos, vt Elementum mixtum erit, in cuius mixtione, vt in alijs miſcibilia,

Elementa prope nos non dátur pura.

ne-

neque tota corrumpuntur, neque actu remanent in mixto, ſecundum formas ſubſtantiales, neque integras, neque refractas, ſed potentia ratione ſubſtantiæ, quam prius habebant, manent quidem actu ratione formæ genitæ ex ipſis (mixtio enim eſt miſcibilium alteratorum vnio, miſcibilia verò ſunt illa corpora, quæ adinuicem actiua, & paſſiua, & facile diuiſibilia ſunt) quod probatur ab Ariſtotele 2. de Generat. & corrupt. quia illa miſcentur, quæ manent ſaluata, ſed miſcibilia ſunt actu exiſtente tertio ex ipſis, potentia verò reſpectu ſuarum ſubſtantiarum; quod tertium reſultans ex his habet formam communem æquiualentem omnibus formis miſcibilium virtualiter, non actualiter, quippè remaneant qualitates eorum, quæ non deperduntur, quatenus factæ ſunt formæ communis æquiualentis omnibus, quod innuit Auicenna lib. 1. ſen. 2. cap. de aquis, amplius aquæ diuerſificantur, non ſolum in ſubſtantia aqueitatis, verùm ſecundum illud quod eis admiſcetur, & ſecundum

Quid ſit mixtio, & quæ ſint miſcibilia.

dum qualitatem, quæ in eis eſt ſuperans. Ergo in qualibet mixtione eſt aliqua forma communis continens alias virtute, licèt Auicen. voluerit formas in mixtio remanere actu, non potentia, quod efficacius eſſet argumentum ad probãdum, immò non egeret probatione in aquarum miſcela remanere ſemper qualitates illius aquæ, quæ admiſcetur actu, ſed nobis detur eas remanere potentia, non actu, idem tamen eſt cum eædem vires in illo aggregatio aquarum remaneant.

Forma cõmunis in mixtione.

Notandum ſecundò eſt, aquas bonas, quæ loco ſuo mouentur, initio etiamſi ſint turbidæ, ſtatim clarificari, & deponere, attamen ſemper primæuam illam qualitatem aquarum, etiamſi refractam remanere, ſicut probauimus de aquis medicatis, vt Tetucianæ, Ficoncellæ, & aliarum quæ etſi loco moueantur, tamen ſemper permanet illud primæuum, ſic etiam pari ratione in aliqua compoſitione medica, licèt ingredientia ſint refracta, tamen ſemper rerum adeſt ſuum poſſe; etenim quod dici ſolet tale in eodem

Aquæ fluminũ ſtatim clarificantur, & deponunt, cum non ſunt ſpiſſę.

dem genere talis, quocumque loco ponatur ſemper erit tale; E contra ſi aquam alicuius magni fluuij de vno vaſe in aliud vas mutas, & quotidie vides diſcenſionem, & numquam exacte purgari, cum ſemper ſegmenta illa deponat Auicen. lib. 1. capit. de aqua, appellat prauas aquas, etenim non deſcendit ex eis quod deſcendere conſueuit, niſi paulatim, & non citò, cauſa eſt in promptu, quoniam aqua ſpiſſa non facile ſegmenta deponit idem Auctor ibidem.

Notandum tertiò eſt ex Hippocrate, ideò aquas pluuias aliquibus locis eſſe optimas, quia non fit vaporum extractio, & eleuatio apud paludes, aquas ſtagnantes, piſcinas, aerem craſſum, & prauum; adeò vt loca, per quæ labuntur aquæ, curſus, aër, bonam, & prauam aquam notent, vt voluit Auicenna capite nuper citato, mentionem faciens Nili, idcircò ait Nili aquam eſſe optimam, cuius bonitatem conſiſtere putat in ſalubritate locorum, per quæ vadit cum longa manatione in curſu ſuo, à Meridie ad Septentrionem

Aer prauus, & aqua ſtagnātia decurrentia ad flumina notāt prauā aquā.

nem, purificante quod mali eſſet in illa, & in communicatione aquarum bonarum; etenim ſi ſtagna, paludes, immunditiæ, piſcinæ, ſulphur, alumen, bitumen, in fluuia deueniant, vel propter ſuam alluuionem, vel quocumque alio modo, peſſimas aquas eſſe ſtatuimus; quæ aliquoties propter vapores putridos, qui exalant aerem inficiunt, vt teſtatur Cel. lib. 1. cap. 2. Hippocrates tertio de dieta, Homerus, ſi Plinio credendum eſt, libro 18. capit. 6. hi namque fluminum auras æquè ac ſtagnorum damnarunt.

Notandum quartò eſt, clarificationis in aquis mixtis cauſam efficaciorem eſſe alumen, ſulphur, quàm ſabulum maſculum, vt volebat Petronius, neque ex hoc ſequitur poſſe adumbrare ſaporem, ſiue odorem, verùm qualitas remanet, & multitudine alterius aquæ non ſuperatur; quód probatur manifeſtè ab exemplo in collyris ſulphure confectis, quæ dolijs imponi ſolent Romæ, & alibi ad clarificanda vina aquis craſſiora, & reddenda potentia, attamen in vinis non percipi-

Sulphur, alumẽ clarificat aquas, non ſabulus maſculus.

tur ſulphuris odor, vt experientia clarè notum eſt; vlterius & ſi ob alias cauſas aquæ fluminum clarificentur, & non deponant,(omnes enim temporis lapſu clarificantur, ni putrefiant) non bonas aquas cenſuit eſſe Auicenna.

His præſuppoſitis dicendum, & concludendum eſt ab vſu frequenti aquæ Tyberinæ,temporis lapſu arenulas,& calculos vrbem colentibus creari, præſertim ſi ijs præuia ſit diſpoſitio ad huiuſmodi affectionem, & viuendi mala ratio, quod perbellè probatur rationibus, & auctoritatibus infra citandis.

Probatur primò phyſica ratione cum ijs, quæ diximus in primo notando de rerum mixtione, etenim ſicut in mixtis probauimus cum Ariſtotele remanere formas miſcibilium potentialiter, reſpectu ſuarum ſubſtantiarum; actu verò remanere ratione geniti ex his, & eorum qualitatem non deperdi, quæ ratio philoſophica maximopere conuenit aquæ Tyberinæ, etenim eſt quædam mixtio, & coaceruatio, (vt cumulus lapidum,vt ita

Aqua Tyberina eſt cumulus multarum aquarũ diuerſæ entitatis, quæ retinent ſuum eſſe potentiale in illa aquarũ cõpoſitione.

loquar) multarum aquarum diuerſæ entitatis, vt ſunt ſulphureæ, aluminoſæ, terreſtres, craſſæ, viſcidæ, glaciales &c. quarum virtus, ſiue qualitas remanet in illo aggregato; & vt in cumulo lapidum etiam ſi ſit aggregatum per accidens, quilibet lapis eſt lapis, ſic quælibet aqua retinet ſuum eſſe potentiale in illa aquarum compoſitione, quod probauimus cum Auicenna docente aquas diuerſificari non ſolum in ſubſtantia, verùm propter id quod admiſcetur, & ſecundum qualitatem, quæ eſt ſuperans, continens alias potentialiter, vnde ſicuti cuilibet aquæ illud poſſe, & qualitas remanet in compoſitione, ac cum eſt ſeiuncta, ab aqua Tyberina ſine vllo dubio dicendum eſt calculos procreari, cum in illam varia genera aquarum decurrant, quæ vim creandi arenulas, ac lapillos habent, ſicuti ſunt ſulphuratæ, aluminatæ, craſſæ, vt dictum, & diſputatum eſt in capite de aquis medicatis.

Probatur ſecundò cum ijs, quæ dicta ſunt ſecundò notando ab effectu ex au-

ctoritate Auicennæ libro 1. capite de aqua, omnes aquæ fluminum bonæ, quæ ſuo loco mouentur initio etiamſi ſint turbidæ ſtatim clarificantur, & non ſemper deponunt; è contra prauas aquas vocat, cum de vno vaſe in aliud mutas, & quotidie aliquid deſcendere vides, & numquam exactè purgari, cum ſemper ſegmenta deponant, quod profectò accidit aquæ Tyberinæ, quæ etiam expurgata poſt ſex menſes (vt volunt aduerſarij) attamen ſemper aliquid ſegmēti deponit, veluti ipſi confitentur, quod dicũt etiam accidere alijs aquis, id verò falſum eſſe non eget probatione, quippe cuilibet inſpicienti notum ſit. Cauſa verò cur non citò deſcendat ex illis aquis diuerſi generis, quod deſcendere conſueuit, ſed paulatim, eſt aquarum ſpiſſitudo, ab aqua enim ſpiſſa non facile ſegmenta deſcendunt; adde in diuerſarum aquarum aggregatione, ſi loco moueantur, ſemper remanere qualitates, vel potentiales, vel actuales, vel refractas, quod ſupra probatum eſt in aquis medicatis, vt Te-

Aqua quæ ſēper deponit ſegmenta, eſt ſpiſſa, vt accidit Tyberinæ aquæ, quæ numquam exactè deponit patet inſpicienti etiā poſt ſex menſes, & annum.

tuccianæ, Ficoncellæ, Anticoli Campaniæ, quæ etiamſi loco moueantur, ſemper tamen perſiſtit illud primæuum, quod prorſus accidit aquæ Tyberinæ, quæ loco mota, & non deponens, retinet qualitates diuerſarum aquarum, etenim vt tritum dici ſolet tale in eodem genere talis, quocumque loco ponatur ſemper erit tale.

Probatur tertiò cum tertio notando ex Hippocrate, quoties fit extractio, & eleuatio vaporum apud aquas ſtagnantes, piſcinas, & aerem infectum, & prauũ, aquæ pluuiæ, neque flumina proximiora ſunt aptè nata ad potum, ſed hoc accidit aquæ Tyberinæ, patet cuicumque conſideranti loca, per quæ labitur (quia non poſſunt omnia in vnum congeri, nam aliena eſt tractatio, de quibus Cagnatus, & alij de Tyberis inundatione, & locorum alluuione) curſus, & aquas communicantes, vt ſunt paludes multæ, ſtagna, aquæ ſulphureæ, nitroſæ, bituminoſæ, immunditiæ propter ſuam ſæpe ſæpius alluuionem, ſunt in cauſa, vt aqua ad genera-

Aquæ ſulphureę, nitroſæ, & deniq. aquarũ diuerſitas calculos gignit, vt aquæ Tyberinæ accidit.

rationem calculorum promptiſſima reddatur, & aër craſſior ambiens generetur, qui facillimus inde eſt ad generandas obſtructiones, & inficiendum hepar, ſplenem, aliaſque partes naturales, quod manifeſtiſſimè apparet ijs, qui aſſiduè flumen, & regionem tyberinam colunt, eiſque aquis vtuntur; omnes enim ſplenitici, hepatici, nephritici temporis lapſu euadunt, & commoriuntur, ſicut vrbem medentibus res notiſſima eſt, & in eorum corporum ſectione clariſſimè patet.

Probatur quartò ex quarto notando, nulla res eſt efficacior in aquarum clarificatione, quàm ſulphur, alumen, ſed iſta ingrediuntur aquam Tyberinam; ergo ſulphur, & alumen clarificat aquam Tyberinam non ſabulus maſculus, neque ex hoc ſequitur poſſe adumbrare ſaporem ſiue odorem, etiamſi qualitas actiua remaneat, quæ aquarum multitudine non ſuperatur; quod verò non adumbret ſaporem, ſiue odorem, & clarificet ſulphur, & alumen, probatum eſt à potiori, ſicuti enim minimæ collyræ ſulphure

Sulphur alumen clarificat, aquam Tyberinã nõ tamẽ adũbrat odorem, ſiue ſaporem.

confectæ in dolijs vinorum collocantur, vina verò poſt earum iniectionem redduntur potentia, & clarificantur, licèt ſint aquis craſſiora, attamen odor ſulphuris non percipitur, quanto magis poteſt verè affirmari de aqua Tyberina eam clarificari, vt vino tenuiorem, & non olere, & dato Tyberis aquam non clarificari ob ſulphur, & alumen, verùm ob aliam cauſam, vt omnes fluminum aquæ clarificantur temporis lapſu, ni putrefiant, tamen illam opportunam eſſe pro potu habentibus propenſionem ad calculum falſiſſimum eſt, vt probauit Auicenna, quæ enim aquæ longo tempore deponunt malas eſſe, calculoſque generare, vt accidit Tyberino fluuio quod erat probandum.

Iam explicatum eſt aquam Tyberinã procreare calculum ex rationibus, & fundamentis, quæ iecimus in notandis, modò hoc idem remanet probandum auctoritatibus rei medicæ Illuſtrium virorum: enim verò in hac dubitatione non videtur neceſſarium obſeruationes quotidianas

nas aquæ Tyberinæ afferre; vt Lectori perſuadeamus eam vrbem colentibus calculos generare, cum dietim Romæ in corporum ſectione nimis appareant funeſtæ hiſtoriæ calculorum, in ijs nimirum qui quotidiano potu huius aquæ vtuntur; adeò vt ſemper reperiantur calculi infoſſi renum ſubſtantiæ, vel cauitati, vel veſicæ, vel vreteribus, idcircò dumtaxat auctoritates recolere opus eſſe videntur, non autem obſeruationes.

Depromitur primò ex auctoritate magni viri Hippocratis, Tyberinam aquam lapides gignere, ita in lib. de aëre, locis, & aquis loquentis de aquis fluminum hæc adamuſſim habet. At verò calculo maximè tentantur, & renum morbis, ac vrinæ ſtillicidio, & coxendicum affectionibus corripiuntur, herniæque ijs ſuboriuntur, qui cuiuſuis aquas bibunt; aut de magnis fluminibus, in quæ alia decurrunt, & de ſtagno, in quod multarum, & cuiuſuis generis aquarum riuuli deueniunt, quique aduectitijs aquis vtuntur, quæ ex longo, & minimè breui in-

Ex Hipp. depromitur aquas fluminum calculos procreare, vt eſt Tyberina.

interuallo deducuntur; neque enim fieri poteſt, vt aquæ inter ſe ſimiles ſint, verũ aliæ dulces ſunt, aliæ ſalſæ, & aluminoſæ aliæ de calidis effluunt. Atque hæ ſimul permixtæ inter ſe diſſident, & ſemper ſuperat, quæ valentiſſima eſt, neque ſemper ijſdem viribus pollet, ſed alias alia, ſed ex ventis huic quidem boreas vires præbet, illi verò auſter, & de reliquis eadem eſt ratio, & ex his igitur limum, & arenam in vaſis ſubſidere neceſſe eſt, & ex earum potu prædicti morbi gignantur; quæ Hippocratis auctoritas ita clarè decantat Tyberis aquam, tamquam fluminum calculos procreare, vt luce clarior ſit, ſicuti colligere fas eſt ex ijs, quæ ſupra diximus, etenim cum ſit miſcela diuerſarum aquarum, varias affectiones inducere ex varietate non eſt à propoſito alienum.

Ex Gale. depromitur fluuiales aquas generare lapides, vt eſt Tyberina.

Depromitur ſecundò ex auctoritate Galeni de renum affect. dignot. Medica, cap. 5. optimam aquam eſſe, quæ ſit puriſſima, & purgata; fluuiales enim, paluſtres, & omnes ſtagnantes, quæ ſegniter

fluunt,

fluunt, & non commouentur lapides generare poſſunt; ex quo loco patet manifeſtè nullas aquas fluuiales eſſe opportunas calculis laborantibus, & præcipuè Tyberinam, quippe ſit receptaculum aquarum ſtagnantium, paluſtrium, ſulphur,& alumen, ſiue bitumen gerẽtium, quæ non ſolum intrinſecæ faciunt vrinæ difficultatem, verùm etiam extrinſecus adhibitæ, ſicuti aluminoſæ, vel chalcanthodes obſtructiones denſas cutes patrant, vt probat idem 8.meth. cap.2. 10. methi. etiam 2.& de criſibus.

Depromitur tertiò ex auctoritate Auicennæ libro 1. capit. 16. affirmantis aquas magnorum fluminum, quæ non citò deponunt eſſe malas, ſed aqua Tyberina temporis etiam lapſu ſemper aliquid deponit, vt experientia videre eſt, & nos vidimus: ergo aqua Tyberina ſpiſſa eſt,& calculos generat.

Ex Auic. depromitur aquas magnorũ fluminum non deponentes lapillos creare.

Depromitur vltimò ex auctoritate Mercurialis viri neuterici, verùm egregij lib. 3. ſuæ praxis cap. 29. aquam fluuialem calculos generare, vt eſt Tyberina

Ex Merc. recentiori auct. aqua Tyberina calculum generat.

na Romæ, inquiens, omnes enim qui Romanam Vrbem incolunt, vbi cum potetur aqua Tyberis, quæ craſſa eſt, & terrea, pauci ſint eius cœli habitatores, in quibus non fiat copia arenarum, & hæc ſint ſatis ad probandum, & ſtatuendum aquam Tyberinam lapides generare.

Quæ aquę ſint optimæ.

Cum ergo dictum, & probatum ſit aquam Tyberis calculos gignere, remanet modo videndum quæ ſint optimæ aquæ, quippè multa de ijs etiam ſupra tetigimus; & quibus dietim calculo laborantes vti debeant; Aqua igitur optima, & leuiſſima illa eſt, quæ citò refrigeratur, & calefit, cum contrarias qualitates facillimè recipiat, vt explicat Galenus lib. de ptiſana cap. 2. Hippoc. commendat pluuias lib. de aere, locis, & aquis, Auicen. fontium terræ puræ petroſæ, excurrentium ad orientem, & vt ommittamus pluuias, quæ ob moram, quam trahunt in vaſis, vt in ciſternis, & per loca, per quæ fluunt vitio non carent, ſic & puteorum, & quæ non loco mouentur comparatione fontium aquarum ſunt vocandæ malæ, de

fon-

fontibus ergo quales eſſe debeant, eſt differendum; Ariſtoteles lib. de Mundo, cap.4. mentionem faciens earum rerum, quæ in terra continentur, præcipuè eſſe aquas fontium inquit, quarum varietas ita per vniuerſam terram diffuſa eſt, vt nil magis, enim verò quis dubitat de aquis fontium in tabem inducentibus, quis de emaciantibus, quis de ijs quæ ducunt viros ad dementiam, & immemores faciunt, vt Vetru. lib. 8. recenſet profectò nemo dubitare deberet? cum & aliæ multæ ſint renum lapides generantes, aliæ calidæ, aliæ temperatæ, aliæ efferuentes, aliæ extremè frigidæ dentur, quæ fontium, & aquarum miſcellaneæ varietates, ita interna viſcera malè afficiunt, vt neceſſe ſit Medicis fontes, & aquas opportuniores pro ſanitate conſeruanda eligere; mirum igitur non eſt, ſi idem Ariſtoteles Metheor. 1. ſum. 4. cap. 1. loquens de fontium generatione eas præſtantiores alijs eſſe, quæ vicinæ ſunt locis altis, propterea quod confluit ad modicum ad vnum, & paulatim cum

Varietas aquarum fontium.

mul-

Aquarum originis duæ primariæ opiniones dãtur, vna à ſecretis terræ, altera à mari aquã profluere ait.

multis humiditatibus generatur fons; Verùm de aquarum origine duæ primariæ inſurgunt opiniones, ex his alia fuit dicentium aquarum generationem temporis lapſu fieri, & ortum ducere à proprijs cuniculis, & ſecretis terræ, vt voluit Ariſtoteles loco citato, quem ſequuntur Albertus Magnus, & alij. Altera verò eſt affirmantium aquarum omnium tam fluuiorum; quam fontium perpetuarum originem habere à mare, ita teſtatus eſt Seneca 3. naturalium quæſtionum cap. 4. occulto itinere ſubit terras, & per palam venit, ſecretò reuertitur, cēlaturque in tranſitu mare; quod connectitur facillimè cum ſacris litteris, vt in Eccleſiaſte cap. 1. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant; quam rem amplexus eſt Mercurius Trimegiſtus cantaturus ſum Creatorem omnium, & vnum terrarum diſtributorem, Cœlum æquilibrantem, iubentem ex Oceano aquam diffluere dulcem ad hominum alimenta, iubentem Solem ful-

fulgere ſupernè ad hominum actiones: quod etiam arriſit Lucretio.

Poſtremò quoniam rarò cum corpore Tellus
Eſt, & coniuncta eſt oras maris vndique cingens
Debet, vt in mare de Terris venit humor aquai
In terras itidem manaſſe ex æquore ſalſo.

Sed quidquid ſit, cum de his variæ ſint opiniones, eas recenſiſſe ſufficiat; quoniam clariſſimum eſt fontium aquas illas eſſe præſtantiſſimas, quæ limpidiſſimæ, & puriſſimæ erunt, guſtui, & olfactui iucundiſſimæ, hoc eſt omni tùm odoris, tum ſaporis vitio carere debent, non ſalſedinis, non amari, non acidi, non ceni; nec ſulphuris, nec alterius rei aliquid repreſentantes; quæ ab his qualitatibus diſtabunt, & quanto magis eo peiores, vt niuoſæ, glaciales; ac propterea ſuum curſum habere debent Soli diſcoopertum, ventis expoſitum, & longiſſimum à locis alijs manantem, quas laudes, & qualita-

tes

Galen. tpe aquæ fontium Romæ erant optimæ, & celeberrimæ.

tes aquarum fontium diù olim Roma habuit, vt videre eſt apud Galenum in lib. 6. Hippocratis de morbis vulgar. tex. 10. Romæ namque ſicut & multa alia in ea Vrbe eximia ſunt, ita & fontium elegantia, ac multitudo admirabilis: nulla fetidam aquam, aut medicatam, aut turbidam, aut aſperam, crudamque effundente, quæ per decem & nouem; ſiue ad ſummum viginti duo aquæductus apud Romanos eorum vſu erant delatæ, vt refert Marlianus; modo verò hiſce noſtris temporibus, tria genera tantũ aquarum in fontibus varijs in locis per vrbem ſparſis repeŗiuntur; vel eſt aqua Virgo; ſiue Salonia; vel Felix; vel Paula; inter quas primum locum tenet aqua Virgo; ideſt fontis Triuiæ; cuius ortus diſtat ab Vrbe ſeptem milliarijs circiter, eaque omnium aquarum, quibus in potionem Romani vtuntur optima, & melior eſt ſuperans Tyberinam, & alias, quippe ſit expers omnis ſuſpitionis calculi. Altera Felix aqua vocata eius ortus diſtat ab vrbe circiter viginti milliarijs, vel viginti

Noſtris tẽporib. Aquæ fontium Romæ, ideſt Virgo, Felix, Paula.

 duo,

duo, non ita leuis, ac tuta auſpicio, & fauore Sixti Quinti Pont.Opt.Max. ducta. Tertia denique in montem Ianiculum producta fuit, paucis ab hinc annis auctoritate Pauli Quinti Pont. Opt. Max. à quo Paula vocata eſt, cuius ortus diſtat etiam ab Vrbe triginta quatuor milliarijs, quæ in dies ſingulos perfectior reddetur, & iſtæ ſunt aquæ quibus modò vniuerſitas Romanorum, & incolarum vtitur. Alijs verò in locis extra Vrbem ijs aquis populus, & calculoſus vtatur, quæ ſint fontium, vt ſupra, & qui illis carent, vitent craſſas turbidas, glaciales, & omnis odoris, ſiue ſaporis ſuſpectas; & hæc de aquis dicta ſint pro potu, in gratiam aquæ Tyberinæ arenulas, & calculos procreantis.

Quarũ aquarũ vſus debeat ſeruari extra vrbem.

Q D V-

DVBITATIO SECVNDA,

De Diureticis.

An Diuretica conueniant calculoſis.

SEMPER fuit reuocatum in dubium, an in renum affectibus vti liceat medicamentis diureticis, de quo quæſito plurimi plurima ſentiunt, & habetur peculiaris diſputatio apud Conciliatorem differ. 205. Mihi verò liceat breuiſſimè in mentem Galeni, & Hippocratis quid ſentiant in medium afferre.

Vſus, & praxis communis videtur à nonnullis Medicis comprobata, qui abſque vlla diſtinctione adhibent medicamenta diuretica, neque deeſt ratio quod hoc ipſum comprobent, enim verò quod vrinarios meatus abſtergit, purgat, ape-

Digitized by Google

rit, quam maximè conuenit calculoſis, medicamenta verò diuretica hoc præſtare clariſſimum eſt in re medica; quibus videtur fauere Auicenna, Rhaſes, & Paulus. Altera ex parte præceptum eſt in contrarium receptum ab omnibus à parte affecta ſemper reuellendum, minimè verò trahendum, quæ doctrina comprobatur à Galeno 13. Meth. cap. 6. in contrarium reuulſionis in omnibus talibus commune eſt; neque enim ſi circa ſedem, vel circa vicinam partem inflammatio fiat, ſtatim aluum deijcies, neque cum in veſica, vel cole cepta eſt inflammatio, vel quid aliud pharmaca bibenda dabis, ſed ad partes, quæ maximè longinquæ ſunt, reuulſionem facies, vnde videtur concludendum diuretica non conuenire in affectibus renum, quippè ad renes, & ad veſicam trahant, vt ad cloacas.

Proponuntur duę opiniones de diureticis.

Pro reſponſione dubitationis procedendum eſt cum diſtinctione, vt quæſiſitum ſoluatur: & primariò notandum fuit diuretica in duplici eſſe differentia, alia communiter, & minus verè, ſicuti

Quæ ſint diuretica leuia.

 ſunt

ſunt illa, quæ abundant aquea humiditate, videlicet vina tenuia oligofera vocata, & multa edulia leuia, quæ in diem aſſumuntur, vt aſparagus, hordæum, braſſica, carota, borago, ceraſa, fraga, pepones, ficus, & alia huius generis. Altera verò dicuntur propriè diuretica, de quibus Galenus 5. de ſimplic. medicam. cap. 13. quo in loco mentio fit de ijs, quæ lac generant, quæ lotium ciunt, & quæ menſes educunt, ſed cum ſint omnia calida non differunt, niſi caliditatis menſura, nam quæ non deſiccant, & moderatè calefaciunt lactis generationi vtilia ſunt; quæ verò plus calefaciunt, non tamen vehementer deſiccant, menſibus eliciendis ſunt opportuna, quæ denique magis calefaciunt, & ſiccant, vocantur propriè diuretica, vt ſemina appij, dauci, vrticæ, ac aliæ radices, & compoſita medicamina, quæ hoc in loco erant recolenda, ſed quia ordo erat ſeruandus, in capite de lotium cientibus, ſuperius iam ſatis de ijs dictum fuit. Secundò conſiderandum eſt ante exhibitionem rei diureticæ, an verè

Quæ ſint lac generãtia, q̃ menſes ducẽtia q̃ denique lotiũ cientia, fortia diuretica vocata.

verè tunc temporis renes laborent, & opus ſit curatione, vel periculum immineat, ne impoſterum renes patiantur, & neceſſaria ſit præſeruatio. Tertiò conſiderandum eſt in quo genere morborum affectus renum ſit, vel in intemperie cum materia, vel ſine, vel in ſoluta vnitate. Quartò ratio eſt adhibenda temporis, morborum, vt puta principium, augmentum, ſtatus, declinatio.

His iactis principijs, ſtatuimus diuretica leuia omni tempore conuenire, tam in curatione, quam pręſeruatione, & quocumque morbi tempore, dummodo cum ratione, & opportunè adminiſtrentur, nā poſſunt vaſa modicè abſtergere lenire, abſque vllo periculo, & hac in re patranda Medici conſilium præualere debet, quippe ab eo conſiderandum ſit temperamentum, ætas, tempus, & affectio forſan alias curata, & hoc modo intelligendus eſt Hippocrates, qui cum mentionem fecit renum, affectuum, diuretica eſſe adhibenda, vt plurimum protulit. Leuia diuretica omni tẽpore morbi ſũt conſentanea.

Dicendum vltimò, medicamenta diu-

retica fortia; non conuenire vllo tempore morbi, neque in præſeruatione, neque curatione, neque in aliqua intemperie, vel ſoluta vnitate, niſi prius facta optima, & congruens totius corporis purgatio fuerit, cum non poſſint tuto adminiſtrari, quoniam imminet periculum, ne ad locos affectus, ideſt renes plus excrementi duci, quàm deleri, & hac medendi methodo ſuperius in Secundo Libro locuti ſumus; immò animaduertendum eſt diuretica fortia adhibenda eſſe longè ab alimẽti aſſumptione, ratio enim eſt, quia ipſum indigeſtum per vias vrinæ duceretur, & eſſet cauſa maioris nocumenti, quod non accidit diureticis leuibus, quæ cibis admiſcentur; enim verò ſi fortia diuretica inopportuno tempore adhibita ſint, dolores magis augent in calculi motione, vrinarios meatus excoriãt, calculos anguſtis meatibus impingunt magno ægri periculo, quin etiam conuulſiones, epilepſias, ſingultus, animi deliquia excitant, violenter calculo impulſo, & nõ expulſo, vt à me multoties in quotidiana praxi

Quãdo, & quomodo conueniãt diuretica fortia.

praxi fuit obſeruatum Romæ,& propterea maximè ſunt monendi in exhibitione diureticorum tyrones Medici, cum paſſim decipiantur credentes calculos adeſſe, hinc igitur præſidia lapidem minuentia facultate calida prædita miniſtrant, quod in languentium perniciem vertitur cum lotij ardore laborent, quorum inde vſu vlcus in renibus, ſiue veſica generari neceſſum ſit. Et his concluſionibus ſatisfit omnibus quæſitis,obiectis,& loca omnia de hac diſputatione conciliantur: remque ita ſe habere comprobauit egregiè Foreſſus lib. 24. in ſcholion ad obſer. 15. Proſunt & modicè aperientia demum diureticis opus, quæ materiam ex toto per vrinas deturbent, ea tamen ante deiectiones, diuerſioneſque omninò damnantur, importunè enim materiam ad vrinæ meatus, locumque doloris ſecum contrahunt initio præſertim morbi, ob id neceſſe eſt perpugatum reddi corpus.

DVBITATIO TERTIA,

De vſu Cantharidum.

An conueniat vſus Cantharidum in ſuppreſſione lotij ratione calculi renum, vel veſicæ, vel vreterum.

BREVIS, ſed pulchra, atque perdifficilis dubitatio ſoluenda eſt tacta ab Hippocrate varijs in locis ad ciendum lotium menſes, ita in acutis, in morbis mulierum, & alibi, nimirum an vſus cantharidum ſit conſentaneus ijs, quibus lotium penitus ſuppreſſum eſt ratione calculi detenti aliquibus in vaſibus lotio inſeruientibus. Præſidium ita periculoſum non eſſe adhibēdum prima facie videtur, vt omnes Medici fatentur, nam Galenus ponit cantharides inter putre-

putrefacientia,& erodentia,quę toto genere lethalia ſunt, ac propterea non videntur conuenire; tamen ipſemet Galenus confitetur efficaciora pro lotio ciendo ſemper habere aliquid cantharidum, vt teſtatur 4.de ſimpl.medica.cap.19.ad finem, & 3.cap.23. ex quibus locis viſus eſt annuere cantharides mixtas cum alijs medicamentis diureticis, calculoſis appropriatas eſſe, & melius eſt in cura coacta, & quæ ſolo prognoſtico relinquitur, iuxta illud Celſi, anceps præſidium experiri, quàm nullum. Quamobrem abſque dubio pro certo habendum eſt in lotio ſuppreſſo ratione calculi, expertis alijs præſidijs per plures dies, ſi æger prorſus delabatur vſum cantharidum mixtum alijs medicamentis diureticis conſentaneum eſſe, quoniam Auic. documentum fuit iſchuriam peruenientem ad ſeptimum, vel decimum diem incurabilem reddi.

Lotij reté tio ad decem dies videtur ĩcurabilis ex Auic.

Probatur auctoritate Hippocratis in acutis circa finem, quo in loco exhibet cantharides tres contritas ablato cuiuſque

que

que capite pedibus,& alis, cum tribus aquæ cyathis ad ciendum lotium, ijs nimirum qui aqua inter cute laborãt; quis igitur dubitabit in cura coacta propter lotij ſuppreſſionem, quæ non dat inducias, vt hydrops, quod ſatis pulcherrimũ quæſitum corroboratur,& confirmatur à Petro Salio de affectibus particularibus diuerſorum, cap. 43. loquente de ſuppreſſione lotij, in qua non deſcendit vrina in veſicam, licèt Mercur. videatur damnare diuretica omnia in iſchuria, ratio verò à qua fuit ductus, quia non adeſt aditus lotio. Sed reſponſio eſt clara, cum ibi non fiat ſermo de iſchuria ex lapide, & etiamſi loqueretur vniuerſaliter, attamen dicendum eſt cum corpora ſunt rite expurgata, iſchuriam alio præſidio non egere, quàm lotium cientibus, tam internè, quàm externè, vt fotu cataplaſmate, & omnibus denique relaſſantibus, in qua re videtur allucinatus Mercurialis.

Vſus cantharidũ in lotio retẽto ex calculo neceſſarius eſt i re medica.

Modus exhibendi eiuſmodi cantharides erit in minima quantitate, ſed cum ali-

aliqua mixtione, & non ſolæ ſunt exhibendæ, vt earum vis delateria caſtigetur, & corrigatur, quarum præparatio habetur apud Dioſcoriden libro ſecundo, capite 54. & Galenus 11. de ſimplici. medic. certa autem doſis, & modus hic erit. Vt exhibeātur cātharides i lotij ſuppreſſione.

℞. Pulueris Cantharid. prçparatarum grana duo, vel tria, emulſionis ſeminum communium frigidorum, vel lactis mulieris onc. vj. fiat potio detur ieiuno ventriculo per quinque horas ante cibum, ad quod præſidium non eſt deueniendum, niſi cum omnia alia præſidia ſunt experta, ne Medico increpetur illud Galeni decimo ſimplic. capite primo, vbi Xenocratem increpat, qui multa periculoſa experimenta litteris mandauerat, & expertus erat: Ratio enim eſt, quia à ſimili experimento, & præſidio ſtranguria inducitur, quippe fiat commutatio morbi grauioris, qui eſt vrinæ ſuppreſſio in minus grauem, qui eſt lotij difficultas ſtranguria vocata, & hoc modo lotium arte natura coad- A canthаride inducitur ſtranguria.

iuua-

iuuata paulatim reddetur, quod erat quærendum in tali affectione, vt puta ſuppreſſione lotij ratione calculi, & probandum an conueniret in hac dubitatione tale anceps præſidium.

DVBITATIO QVARTA,

De refrigerantibus Renum.

An ingens renum caliditas, vt efficiens calculum ſit frenanda frigefacientibus, & abſtergentibus, alijſque huius generis.

HAEC dubitatio ita clara, coarctanda eſt ad aliqua frigida, non ad omnia, quæ reſpectu alicuius rei magis calidæ dici poſſunt frigida, reducenda etiam eſt ad tempus exhibitionis frigidorum, ad ætatem, atque temperamentum.

Vnde ſciendum primò loco eſt tamquam concluſio ab omnibus recepta, frigefacientia loco medicamentorum, in renum querimonijs corpore inpurgato nullo modo conuenire, neque actu, neque

que potentia, non in ætate ſenili, ſiue ſtomacho debili, atque flatuoſo, frigidum enim aſſerente Principe Peripateticorum vaſa lotij conſtipat, calidum verò aperit.

Sciendum ſecundò, non omnia frigida medicamenta (enim verò ciborum eſt diuerſa ratio) conuenire, ſed ea dumtaxat, quæ abſtergendi, incidendi vim iuncta cum humiditate, quæ laxandi vaſa habent.

Quæ ſint, & quando frigefaciētia sūt adhibenda.

Sciendum tertiò, frigida tunc temporis eſſe exhibenda, cùm corpus erit expurgatum, & vaſa lotij erunt reddita apta nata ad recipiendam abſterſionem, æſtiuoque tempore eo videlicet modo, quo ſupra diſputauimus de aquis medicatis.

Frigida extrinſecè non ſunt adminiſtrā da, niſi leuiſſima, poſt vniuerſales euacuationes.

Sciendum quartò eſt frigida extrinſecè, vt inuntiones cataplaſmata cerata non eſſe adminiſtranda, cum non abſtergant verùm conſtipationem cutis facere, atque materiam craſſam contentam in renum cauitate agglutinare illa conſueuere, frigidum enim, vt nuper diceba-

mus,

mus, congregat homogenea, & æthero-genea, quod patet in luto, & probauimus ſupra cum Philoſopho ex libris de generatione, & corruptione, at ſi aliquid leue poſſet adhiberi, id adhibendum eſſe poſt vniuerſales factas euacuationes totius corporis ab omnibus receptum eſt.

His iactis fundamentis in re medica, fuit ſemper ſtatutum refrigerationem tam ciborum, qui refrigerandi facultatem habeant, quam medicamentorum neceſſariam eſſe ad tollendam, & mitigandam effectricem cauſam lapillorum renum, de cibarijs non eſt quis dubitet, quippe eorum vſus debeat eſſe quotidianus, ſed quæ vt medicamenta ſint exhibenda eſt perſcrutandum, & in primis aliquis quærat, quod eſt hoc efficiens, nullibi eſt dubium non eſſe ingẽtem renum, iecoriſque caliditatem, quæ auferri ſolet ijs medicaminibus, habentibus vim abſtergendi, & refrigerandi vtique innuit Alexander Aphr. 1. problem. 110. quando audacter affirmabat frigidos potus ad calculorum expulſionem, maximoperè con-

Tam cibaria, q̃ alia, quæ vim habent medicamẽtorũ neceſſaria sũt ad mitigãdũ ingentem calorẽ renum.

Diuerſæ opiniones de potũ frigido p̃ calculorũ expulſione.

conferre, quod quoque comprobauit Hollerius loco ſuperius citato, inquiens frigidæ potionem maxima quantitate epotæ vtiliſſimam eſſe ad detrudendos renum lapillos; Antiquiores verò Medici docuerunt ingentem renum calorem tolli, cum ante cibum quis potaret aquã tepidam, vel inter cibos aquam frigidam; propter quid indubitatum eſt frigefacientia, & abſtergentia debita quantitate epota opportuna eſſe ad frenãdos renum calores, quod fieri debet tempore naturæ conſentaneo, & menſura, quam vires ferant, Quamobrem qui renum quę relis ſunt obnoxij, ijs conſentaneum eſt ſemel in anno corpore ritè expurgato pro mitigatione efferuentis cauſæ efficientis vti, ſi cætera non impediant medicamentis abſtergentibus, & refrigerantibus, videlicet ſero caprino pulcherrimè purificato ad libram vnam, duas, pluribus diebus, & calidiſſima tempeſtate; vel ſi magis aliquibus placebit vſus incidentium, ſicuti ſucci limonum iure aſſumpti, & ſaccaro inſperſi, vel aquarum me-

Serũ optimum præſidium eſt ad mitigãdam efferuentẽ cauſãm renũ.

medicatarum conſuetudo, ſolita quantitate, vt diſputauimus ſupra, quæ renum calores immoderatos, & iecoris feruorem, atque intemperiem maximoperè temperare ſolent, renum verò immoderatum calorem eſſe frenandum cibarijs, alijſque præſidijs præter dicta, adeſt illuſtris obſeruatio Foreſtî de renum morbis lib. 24. obſer.

Obſeruatio de renum caliditate moderanda.

IVuenis ſalax veneri deditus raræ cõſtitutionis, caliditate renum afficiebatur, ita vt tandem macie conficeretur cum ſimplici intemperie laboraret ſine affluxu humorum, ſolis alterantibus infrigidantibuſque contenti fuimus, eaque adhibuimus, quæ in ſcholion præcedenti diximus conferre ad dolores renum ex cauſa calida, & intemperatura calida, erant autem iſta nimirum. In hoc affectu motiones obſunt, & equo vehi, ſed molli cymba non nocet, inflammat calidum

cubile, thalamus, indumentaque corporis calida, obeſt fames, ſitiſque, & quidquid vrinam ciet calidæ naturæ, & quæ Venerem excitant, piſces iuuant, & in gelu cocta animalium extrema, ex oleribus lactuca, ſeris, cucurbita, cucumis, portulaca, acetoſa. Valent frigidæ potiones, & ſeminum frigidorum maiorum emulſiones hæc in ſcholion: Imperantes quoque, vt pannus lineus inunctus vnguento roſaceo continuo lumbis apponeretur, inuntionis enim motio calorem aliquem inducit, cibus erat lactuca, portulaca cocta adiecto modico agreſtæ, & veſperi hordæatum cum emulſione ſeminis papaueris albi, & ſeminum quatuor frigidorum maiorum mundatorum, vtebatur etiam lacte ouillo, & lacte ebutyrato, & conſerua florum nenupharis, & ſic tandem à calore, & dolore renum liberatus eſt.

DVBITATIO QVINTA,

De Calculi inappetentia.

An in lapide renum, & in eorum querelis, inappetentia ſemper concurrat.

PRO dubitatione inappetentiæ, quæ oritur ex renum lapide, & eorum querelis, vera methodus poſtulare videtur, prius eſſe tractandum de eſſentia, & cognitione appetentiæ, vt deinde facilius ſciamus quid ſit inappetentia, & cur in calculo renum, eorumque dolore concurrat, qua de re aliqua veniunt adnotanda. Et in primis ſciendum eſt nomine naturæ Galen. intellexiſſe animam vel facultatem vegetabilem, & ſic omnia officia animæ, vel facultatis vegetabilis dicuntur funtiones naturales, vtique nu-

Ad quas facultates ſpectet appetentia.

tritio, generatio, alteratio eſt, quamobrē cum appetentia in his conſiſtat, reſpiciendo finem pertinet ad facultatem naturalem; ſi verò cognitionem, & principium huius reſpiciamus, ſpectat ad facultatem animalem, qui appetitus hoc videlicet modo fieri, & generari ſolet ex ſententia Empedoclis, Platonis, Ariſtotelis, poſtremò Galeni, primò vt adſit inopia alimentorum, & ventris inanitio; ſecundò, vt ſit carens omni ſucco prauo, atque labe; tertiò, vt calor naturalis ſit temperatus; quartò, vt ipſemet ventriculus os ſuum titillet, & ſenſus adſit; quintò appetentia ipſius animalis, ita de ſymptomatum cauſis primo cap. 7. qua de re optimè definiri poteſt appetere eſſe indigentiam ſenſus, è contra inappetere eſſe ſymptoma in genere læſæ functionis naturalis ventriculi (hic ſermo eſt de inappetentia præter naturam, non autem de ea, quæ oritur ex copia cibi) cuius ventriculi os, cum ſit famis inſtrumentum, ita aliquoties læditur à varijs cauſis inappetentiam facientibus, vt nil prorſus

Quomodo fiat appetitus ex communi omniũ opinione, & quid ſit.

ap-

appetat; quæ ad duo primaria capita reducuntur, ſcilicet ad immodicam intemperiem frigidam, & immodicam intemperiem calidam, quod faciat calida intemperies, nullibi adeſt dubitatio, vt accidit febrientibus; nam ventriculum laxat, & ſic funtiones impedit, quo minus ſuo officio fungantur, quod faciat frigida intemperies, eſt etiam clarum, cum corrugat, & exſugat os ſuperius, & inferius ventriculi, quæ dubitatio fuit à Trall. lib. 7. & Aegineta lib. 3. cap. 37. cognita, aſſerentibus ab immodica intemperie tam calida, quàm frigida fieri inappetentiam non autem modica; quæ facit appetentiam, & eo modo intelligendus eſt Auicenna lib. 3. fœn. 13. tract. 2. cap. 7. immò eſt animaduertendum fieri multoties inappetentiam per conſenſum aliarum partium, vtique ex iecore inflammato, & malè affecto, vt habetur ab Hippocrate 3. Epid. ægroto 2. & Gal. in comm. hæ autem inappetentiæ exitiales eſſe ſolent, vt puta ex inteſtinis, venis meſeraicis, vtero, renibus, liene, cum melancholicus

Ad quas cauſas, vt ad primaria capita reducatur inappetentia.

Inappetētię per cōſenſum aliarum partiũ, vt iecoris renum &c.

ſuccus nequit penetrare os ventriculi, ſententia enim receptiſſima eſt apud Arabes melancolicum ſuccum ad appetitum conferre, & his omnibus modis ſtomachus ita afficitur, & languet, vt nullo modo recipiat appetendi facultatem, & appetentia ad ſumenda cibaria excitetur, quę ſtomachi ſatietas (quod obiter ſit dictum) aliquoties prædicere etiam ſolet futuram podagram, & dolores articulares. Atque his prænotatis de natura appetentiæ, & inappetentiæ vniuerſaliter, locus modo poſtulat, vt ſtatuatur an ſemper in querimonijs renum, & an ſemper cum lapide inappetentia concurrat; quæve nam huius rei ſint cauſæ.

Melācolicus ſuccus confert appetentiæ.

Satietas ventriculi præſefert podagrā.

Pro certo igitur habendum eſt, multas cauſas concurrere ad appetitus deſtructionem, in renum dolore ex calculo, & in ipſo calculo, oriri verò aliquid inappetentię in quolibet dolore, ſi diuturnus ſit, non eſt quis de hoc dubitet, enim verò omnis dolor eſt de proſternentibus vires, & conſequenter appetitum, vtrique receptum eſt ab omnibus, verùm magis

in dolore orto ex cauſa renum, cum adſint vomitus teterrimi, propter ſuccos prauos, vel biliofos, vel pituitoſos inhærentes parietibus ventriculi, quibus carere debet, vt appetatur, qui praui ſucci ita ſtomachum turbant proſternendo calorem natiuum, vt impediatur os ventriculi ne titillet, & ſenſus adſit, quia tunc temporis alibi eſt intentum, & ſuctionem non recipit, quæ conditiones ſunt neceſſariæ ad excitandam appetentiam; Propter quid verum eſt dicere, in renũ querelis ſemper aliquid inappetentiæ eſſe connexum, & tanto magis, quanto dolores ſunt diuturniores, tunc enim præſentiunt futurum lapidem fixum, & perturbatum, vel in rene, vel vretere, & aliquoties in veſica, ſed rarius, cum non ita moleſtum iſtud ſymptoma inappetentiæ oriatur. Cauſa verò cur ſemper cum lapide his in partibus fixo, adſit deſtructio appetitus, vel eius debilitas, eſt multiplex, nam cuicumque rei medicæ perito videbitur, ſtomachus nullo modo eſſe moleſtandus, à quauis etiam leui cauſa,

Cauſæ deſtructionis appetitus in querelis nephriticis.

Cauſæ cur in lapide his partib. fixo adſit deſtructio appetitus.

vt fiat appetitus. Enim verò cum lapis detinetur in rene, vel vretere, ventriculum pati neceſſe eſt, tum propter conſenſum partium contiguarum; quippe ille renibus incumbat, tum etiam propter renum immoderatum calorem præter naturam ratione lapidis (vtique etiam accidit in febribus) immoderatus enim calor, ac partium forſan obſtructio, vel interna inflammatio, quod in calculo accidere non eſt ab re, facillimè nobis perſuadere poteſt, quamlibet partem internam malè affici, & natiuum calorem violari, & eo magis ventriculi, vt miniſtri nutritionis omnium partium (natura enim locauit eum in medio corporis, vt cuilibet parti opportuna alimenta tribuere poſſet Galenus 4. de vſu partium teſtatur) quo ventriculi calore violato, cum ſuo officio ipſe minimè fungi poſſit, oritur deteſtabilis affectio vocata inappetentia, quæ ſi diu duret facillimè ægri labuntur: Immò poſtremò aduertenda eſt noua ſpeculatio, forſan non amplius impreſſa, quæ ab Anathomicis, & à praxi quotidia-

Locus vētriculi in humano corpore.

diana in corporum diſſectione depromitur, vtique etiam ex dictatore Medicinæ de natura oſſium,& Veſſalio lib.5. cap.3. aſſerente è ſexta neruorum coniugatione cerebri quoſdam neruos, & canales oriri,per quos veluti riuos,& ductus ferri facultatem ſenſatricem ad os ventriculi valde neruoſi, vt per illos diſpenſaretur vis animalis illi, atque cibi, potuſque indigentiam ſentiret, & ad ſumenda cibaria excitaretur,qui ductus, ſiue nerui tam in dextera parte fundi ventriculi, quam ſiniſtra faciunt faſciculum neruorum Fallopij, qui poſtmodum exporriguntur per varias propagines ad diuerſas partes infernas,ſcilicet iecori, lieni, meſenterio, inteſtinis,vtero,veſicæ,renibus; Renes enim habere originem à ſexto pari,& ſerie neruorum cerebri per ventriculum diximus in primo Libro,ſicuti etiam comprobatur ab eodem Veſalio lib.4.cap.9.de ſexto pari neruorum cerebri. Quamobrẽ mirum non ſit inappetentium, & nauſam oriri, præcipuè cum vreteres, & renes à lapide commoto inpræſentiarum malè affi-

Noua ſpeculatio ab Anatomicis deprõpta,cur in lapide renum oriatur inappetentia.

afficiuntur. Primariò, quia ventriculus illis incumbit, & compatitur, vt habetur ex Sillano ad Almanſorem de renum lapide. Secundariò, quia cum renes quid commune habeant cum ventriculo ratione neruorum, & contiguitatis, ſi à calculo atque doloribus teterrimis vexentur (nerui enim ſunt inſtrumenta ferentia ſenſationem, vt funes in Naui) neceſſe eſt, vt principium, à quo prouenit talis ſenſatio in renibus nimirum ventriculo, etiam eum moleſtari, iuxta mentem Hippocratis, Veſalij, & praxis: concludatur ergo in renum querimonijs inappetentiam, & nauſeam concurrere, præcipuè ſemper cum adeſt perturbatus calculus, tunc etenim ea inſeparabile ſignum eſt præſentis lapidis, vt adnotauimus in Obſeruationibus Primi Libri, & infra.

Iſta eſt noua ſpeculatio cur oriatur inappetẽtia, & nauſea in renum calculo.

Sed aliquis quærat obijciendo, quomodo ſimilis affectio curetur? reſpondetur ea methodo, qua ſupra lata eſt curatio de dolore ex calculo, & de fractione, atque curatione ipſius calculi, ablato enim dolore, & lapide, tota vis inappe-

ten-

tentiæ deperditur; Vnum verò adderem quod addunt recentiores nonnulli, nimirum ſicuti calcanthum eſt calidiſſimum, & per ſe ſolum ſtomacho obeſt, & aduerſatur, ſic ſpiritum, & oleum ab eo extractum guttatim iure aſſumptum ieiunè, ventriculum amiſſis viribus languentem, cum ingeſtos cibos coquere, & ſuo officio fungi nequeat, roborare, appetẽtiam excitare arenulas renum cire, lapides frangere, corpus refrigerando, & putredinem tollendo, cuius chymica, & ſpagyrica quæſtio calchanti, ita fuit enucleata à Medicis quibuſdam noſtræ ætatis, vt hinc inde apologeticæ diſputationes exortæ ſint, ideò curioſis eas percurrere neceſſarium eſt: præter ſpiritum calcanthi ad excitandum appetitum, maximoperè conferunt acetaria multa, cibi acuti, & acres, quoniam ſua aciditate, & acrimonia non ſolum extenuant humores, & incidunt, verùm ſuo acumine pungunt, & oris ventriculi ſunt ſtimulatores ad hoc, vt fiat appetentia, quod quidem receptum eſt apud Plutarchum 6. ſim-

Ex aliorũ ſentẽtia vires calcanthi pro inappetẽtia, & calculo.

Curatio inappetentiæ ex calculo.

poſ.

poſ. 2. & Actuarium de affectibus ſpiritus animalis lib. 2. cap. 4. is enim Auctor diligentiſſimus fuit in illis duobus libris exquiſitam victus rationem tradere; ſed & varietas ciborum, & vinorum habet etiã vſus quoſdam in medicina, enim verò appetentiam irritat, & faſtidium ægris delet vt Aſclepiades ſcripſit cum Celſo libro 3. cap. 6. & experientia nos docet; immò præter appetentiam, varietatem maximoperè conducere ad pinguefaciẽdum, & ijs qui adſtrictam aluum habent Hippocrates de ſalubri dicta confirmauit, & hæc de inappetentia ex renum calculo ſint explanata ſufficienter: ſed tandem non vos tædeat Lectores, has duas recentiores Romanas obſeruationes inappetentiæ, præſenti Dubitationi adnectere.

Varietas ciborũ, & vinorũ irritat appetitum.

Romana Obſeruatio inappetentiæ, quæ nuncia fuit calculorum, qui in vtroque rene Illuſtriſſimi Franciotti Vrſini reperti fuere Februar. 1617.

MOleſtiſſimum profectò ſymptoma eſt inappetentia, quæ calculoſos quotidie torquere ſolet; hæc enim præter alia ſymptomata, ita incepit vexare Illuſtriſſimum Dominum Franciottum Vrſinum in extremis ſuæ vitæ diebus, vt tandem ſolito rubicundior, & coloratior correptus fuerit per multos dies nephriticis querelis, quæ cauſam præbuerunt tot vomitionum naturam ſeruantium pituitæ,& bilis, lotij ſtillicidio ſæpe affligebatur, aliquando cruentum ſæpenumero albicans, ſero ſimile, & craſſum, & tenue lotium redditum fuit, Interdum denique iſchuria ſuperuenit, ſitis, vigiliæ cum nauſea perenni, omnis generis ciborum vſque ad extremum ſuæ vitæ momentum perſequutæ ſunt: Diſſecto cadauere

à Domino Io.Maria Caſtellano Anathomico perfectiſſimo, cum præſentia etiam D. Bernardini eius fratris Vrbis Medici primarij, & alijs aſtantibus, in vtroque rene reperti fuere calculi magni tophacei albicantes, qui totam renum cauitatem explebant, quorum caro flaccida, nō ſolida erat, ſed ad palidum admodum vergens. Inſuper in veſica fellea nil prorſus humoris bilioſi repertum fuit, ſed loco bilis, alba aderat pituita viſcida, & cū ea calculus magnus, albus, durus, oblongus, oui columbini excedens magnitudinē, qui totam ciſtulæ implebat cauitatem, præterea in eo ductu, qui ad inteſtinum fertur pro deportanda bile, alter lapis albus quidem, & durus, rotundus, ſed altero minor repertus eſt, qui profectò calculi cauſa erāt tot ſymptomatum, & præcipuè deteſtandæ inappetentiæ, qua Illuſtriſſimus Dominus tunc temporis laborauit.

Romana Obſeruatio diuturnæ inappetentiæ, cum praua appetentia, rei ſimilis forma lapidis 4. Decembris 1618.

MEnſe præterito, die quarta Decembris elapſa 1618. rarum, & monſtruoſum genus inappetentiæ, à calculis renum ex Anathome patefactum eſt, in D. Alexandro de Pochis: hic enim in longa annorum ſerie pluries laborauerat Nephritico, adeò vt non dubitaretur, quin lapilli renibus non adeſſent, cum ſæpiſſimè præter alia pus fętidum minxiſſet, ſed quod dignum admiratione eſt, in vltimo anno ſuæ ætatis curriculi, incepit aſſiduè appetere cancros, & ijs cibari (quod euentus oſtendit) enim verò facta corporis ſectione inuenti ſunt in ſiniſtro rene, æquante citrum magnum quatuor lapides, tres parui varias figuras referentes, verùm quartus omnium maximus egregiè emulabatur brancham cancri magni, ſeu locuſtæ marinæ, vel me-

melius dixerim cancri illius, qui vulgò dicitur Granchio, & huius pars rotundior,& maior,quæ reſpondet ei parti quę eſt ad forcipem, qua cancer apprehendit in quadam cauitate ampliſſima continebatur, altera pars ipſius branchæ in quodam etiam ſinu profundiſſimo, & latiſſimo clauſa erat, qui quidem ſinus ferebatur ad cauitatē renum, quæ quodammodo propter ramulos lapidis, diuiſa erat in tres cauitates, in cæteris caro renum dura, ſcirrhoſa apparuit: Qui æger ſpatio 25. dierum ante obitum, ita cibos ſolidos prorſus auerſatus eſt, vt verè dici poſſit vitam protraxiſſe ijs diebus, cùm ſola vini,& aquæ potione,& alijs leuiſſimis ſorbitionibus, cuius cadaueris ſectionem etiam adimpleuit idem Caſtellanus.

DVBITATIO SEXTA,

De calculi Gonnorrhea.

An illis, qui habent propenſionem ad calculum, & renum calculo laborare ſolent ſuperueniens gonnorrhea ſit ſalutaris.

VSVM, frequentem veneris, immoderatum vſum veneris, ſimplicem, & moderatum vſum veneris, ſalubres, & inſalubres fuiſſe plurimi inter rem medicam facientes affirmarunt, & negarunt, tam veteres, quàm recentiores: adeò vt huius dubitare nouũ, antiquumque fuerit, certum quidem eſt ex immoderata, & frequenti venere plurimas affectiones oriri poſſe non eſt quis abneget, hæc enim & capitis imbecillitatem, cor-

Auctores, qui venerem cõprobãt, & qui improbãt. Hipp. Ariſtot. Democritus, Epicurus, Rufus Epheſ. Ætius Oribaſius, Paulus, Galen. Auicen. & alij quamplurimi.

corporis conuulſiones; vitia coctionum, cæterarumve partium proſtractionem parit; atque mirum non eſt quippe cum ſemen ex Ariſtotele de generatione animal. lib. 1. cap. 18. ſit excrementum vtiliſſimum alimenti vtilis, atque vltimi, & non dici debeat ſimpliciter pars ſuperflua, cum quodammodo ſanguis magis coctus ſit, prurigo enim illa veneris, ſeceſſio humoris ſpirituoſi incluſi contra naturam eſt, vt colligitur ex eodem 4. problem. 16. & idcircò ex venereo vſu partes omnes exoluuntur; è contra ij qui minus rem veneream expetunt pinguiores euadunt, ex quo fit vt verè affirmare poſſimus, ſemen profluere à primarijs corporis partibus, vel ex toto corpore, vt voluit idem Ariſtoteles loco citato, ſed ex aliorum ſententia, neque imprudenter à neutericis quibuſdam reprehendendus eſt Hippocrates, qui de natura oſſium, & genitura optima ratione cogitauit maximam ſeminis partem à cerebro prouenire, cum certum ſit excrementum hoc vtiliſſimum eſſe ad inſtar ſanguinis, qui

Semen excrementũ vtiliſſimũ eſt ad inſtar ſanguinis magis cocti.

naturæ theſaurus eſt ; & idcircò ablato ſanguine aufertur naturale partium omnium alimentum, ergo venus videtur inimica naturæ, quod viſum eſt comprobatum ab Areteo viro celeberrimo lib. 2. cap. 5. de ſeminis profluuio hæc referente ; ſi quis autem vir, & ſeminis profundendi abſtinens fuerit robuſtus eſt, audax; neque vel feras expaueſcens, teſtimonio ſunt ex athletis temperantes, neque ſane ab alio quopiam quam à genitura robuſtum animal generatur, & ideò viri robuſtiores ſunt mulieribus, quia non ita pruriunt; & cum eæ maximoperè pruriant cum voluptate genituram profundunt,quin etiam virilem coitum impudenter appetunt hæc Areteus. Sed quidquid ſit cum negotium ad hanc dubitationem non ſpectet;enim verò clariſſimum eſt ex frequenti,& immoderato vſu venereo affectionem quandam oriri poſſe vocatam gonnorrheam, ſiue ſeminis effuſionem, de cuius parte affecta, vt differat ab affectionibus renum, ſpeciebus, cuive morbo ſit opportuna ſi ſuper-

 ue-

ueniat abſque veneris vſu eſt differendum,& ſuppoſitis ijs, quæ declarata ſunt in Primo Libro. In primis limitandum eſt renes à natura ventri inferiori fuiſſe collocatos, adhærentes ſummis lumbis, vt ſanguinem ij à ſeroſitate depurarent, quæ defertur ab hepate per duas venas emulgentes, vlterius eſſe vallatos,& munitos pluribus partibus circumuicinis, & inter alias, illis circumiacent quatuor vaſa ſeminaria maximè contigua,& ſimilia per quæ ſemen præparatur, antequam perueniat ad teſtes vbi perficitur, quod poſtremò per vaſa iaculantia emittitur; (enim verò eadem via non eſt lotij, ac ſeminis, cum ſemen veluti fauus ab vtraque veſicę parte feratur Hippocrates de natura oſſium initio docuit) quæ vaſa ſeminaria ſuum fontem, & originem habẽt videlicet pars dextera à vena caua, ſiniſtra verò à vena emulgente ſiniſtra renum, verum ijs huiuſmodi vaſa maximè contigua ſunt, & idcircò affectiones miſceri, & communicari ſimul videntur, quod pręclariſſimè expoſuit Ruffus Ephe

Renib. circumiacent vaſa ſeminaria.

ſius

ſius Anathomiſta inter veteres perfectiſſimus lib. 2. cap. 14. at ſeminaria itinera ſecundum renes quatuor deſcendunt, bina recta tendentia, quos & aſſeſſores, & glanduloſos nonnulli vocant, bina varicoſa quod varicis more circumflectuntur; intra hæc fecundum ſemen gignitur grandinoſum craſſumque, quare, & ipſa nonnulli genitales venas appellare voluerunt; feminas verò varicoſis aſſeſſoribus carère Herophilus exiſtimauit.

Quatuor vaſa ſeminaria ex Ruf.Ephe.

Limitandum ſecundò eſt, renum affectiones differre ab ijs, quæ vaſis ſeminarijs accidunt, vt eſt gonnorrhea, errat autem vulgus dicens eam eſſe affectum renalem, affectus verò renales iſti præcipuè annumerati ſunt ab Auctoribus magni nominis vtique dyſſuria, ideſt mingendi difficultas, in qua vix vrina ac cum difficultate excernitur, iſchuria, ideſt lotij prorſus retentio, quæ duæ affectiones, & veſicæ, & renum, & vreterum eſſe poſſunt, quippe oriantur ex obſtructione à varijs cauſis ortum ducente, vt lapide,

Affectiones renum differũt ab ijs quæ vaſis ſeminarijs accidunt.

Iſchuria, dyſuria ꝙ ſint, cauſæ & quarum partium morbi, vtique renũ, veſicæ, & vreterum.

 craſſo

craſſo humore &c. quæ tam partibus ſuperioribus renum, quam inferioribus veſicæ generari poterit, ex qua fit lotij ſuppreſſio, fit & lotij difficultas, enim verò illarum partium leditur virtus tam expultrix, quàm retentrix: Accidit etiam renibus ſtranguria, ideſt vrinæ ſtillicidiũ cum ſponte, & parum frequenter vrina effluit vitium quoque tam renum, quàm veſicæ retentricis debilitatæ eſt, cuius affectionis cauſæ eſſe poſſunt arenulæ compacte, viſcoſa materia, lapis, apoſtema, pletoria humorum in toto corpore acuta: Annumeratur vltimo loco inter affectus renales diabetes, ideſt copioſa vrinarum inuoluntaria fluxio, propter proſtratam renum facultatem, quia mingitur, vt bibitur, eò quòd diabeticus non ſit valens lotium retinere, vt plurimum enim ex ignea renum caliditate, cum perenni ſiti ortum ducit, ſæpe etiam ex frigore corpori vniuerſo, & renibus dominante, cui affectioni eſt adnexus inuoluntarius exitus vrinæ Auicenn. & iſtæ ſunt frequentiores affectiones, quæ renibus,

Stillicidiũ vrinæ ſtrãguria vocata renũ, & veſicæ vitiũ eſt.

Diabetes, & eius cauſæ renum vitium eſt.

bus,

bus, & veſicæ accidere ſolent, diuerſæ omnimode, vt dicebam à ſeminis effuſione de qua fit ſermo, quippe cum vaſorum ſeminis ſymptoma ſit, non renum, non veſicę, non pudendorum, ita teſtatus eſt Galenus 6. de locis affect. vltimo, male enim loquuntur ij, qui dicunt ſeminis effuſionem morbum eſſe renum; renes verò aliquoties male afficiuntur ex accidenti propter contiguitatem, quam habent vaſis ſeminarijs, dicebamus nuper vnum ex vaſis originem habere ab eodem fonte, ac renes, vt puta à vena emulgente ducente aquoſitatem, qua nutriuntur, & quod ſuperflui remanet per viam lotij demitti. Ex his igitur concludendũ eſt, renes pati in gonnorrhea nõ eo quod affectio renum ſit, verum vaſorum ſeminis, quæ maximè adnata, & contigua ſunt inter ſe, & quodammodo ortum ducentia ab illis, nouum quidem non eſt in re medica ſi pars aliqua contigua patiatur, patiatur & altera illi cõtigua, & ſi vna exoneratur, exoneratur & altera vtiq. ſũt vaſa ſeminaria, & renes ĩ gõnorrhea.

Gonnorrhea vaſorũ ſeminaliũ ſymptoma eſt nõ renum, nõ veſicæ.

Ratione cõtiguitatis renes patiuntur in gõnorrhea.

Limitandum tertiò eſt, gonnorrheam eſſe inuitam ſeminis profuſionem citra venerem, citra libidinis inſomnia, citra colis tentiginem, leui quodam, aut nullo oblectationis ſeſu titellatuve facta, cuius plures ſpecies, & differentiæ dari ſolent, nam multoties gonnorrhea fit ob immoderatum, & frequentem coitum, & ſic vaſa ſeminaria, ita debilitantur, & dilatantur, vt eorum facultas retentrix infirma non apta nata ſit retinere ſemen, vt concoquatur, & craſſeſcat, vnde aquoſum liquidum crudum tenue profluit. Secundaria ſpecies gonnorrheæ fieri ſolet, à diuturnis exercitationibus laboribus equitando, ludendo, ex quibus vaſa vna cum renibus ſolito magis patiuntur redduntur infirma, & calefiunt, inde poſtmodum ſeminis effuſio oritur; Tertium genus gonnorrheæ eſt omnium peſſimum, & idcircò fędam virulentam gonnorrheam appellamus, ortam ex lue venerea, cuius cauſa eſt ſpermaticorum vaſorum atque teſtium imbecillitas, non illa quidem ſimplex, ſed ex venenata lue con-

Gonnorrheæ quatuor ſpecies diuerſæ.

Gonnorrhea à venere violenta.

Gonnorrhea à labore.

Gonnorrhea Gallica.

contracta, hæc enim efficit, vt quidquid in his vaſis colligitur in tetrum, fœdumque virus faceſſat, quod deinde contagione alium quemuis contaminat; virus hoc tempore putret, & acrimoniam aſciſcit ductum penis in tranſitu exedens, & exulcerans, cuius inditium eſt dolor in erectione; & mictione, qui tamquam funis penem ſubtendit, licèt alijs ſpeciebus hoc ſymptoma etiam accidere poſſit, ſed non ita graue, & moleſtum; vnde ſi virulentus iſte fluor præter naturam ſupprimatur, oriuntur ſymptomata praua difficilis curationis, vt cephaleæ, aliarumque partium dolores teterrimi, profluuium capillorum, bubones, puſtulæ, gummuta gallica, &c. Alterum denique genus gonnorrheæ omnium magis ſalutare illud eſt, cum abſque minima occaſione ſemẽ materia tenui humorali mixtum eijcitur, vt notat acutiſſimus Fernelius lib. 6. de partium morbis, & ſymptomatibus cap. 13. de eo qui ſola clyſteris perfuſione ob ſpermaticorum vaſorum imbecillitatem ſemen eiaculari conſueuerat; ideò enim

Symptomata ex Gallica gónorrhea

Genus optimũ gonorrheæ.

par-

partes imbecilles euadunt, quippe in eas longa conſuetudine humores abundantius, quam par eſt confluant, vt accidere ſolet vaſis ſpermaticis in illis, qui calculo laborant; Cuius excrementitij ſeminis tam aquoſi prima cauſa eſt humorum fluxus has partes infirmas petens (nam receptum eſt apud Medicos fortiora ad debiliora demittere). Secunda cauſa eſt ſeminis retentio in eo, qui non erat aſsuetus huic ſuppreſſioni ſeminis; verumtamen natura vult exonerari ob irritamentum virtutis expultricis, quia retentrix his in caſibus læſa non eſt, & idcircò cũ quis diù venerem exercuit, poſtmodum longo temporis interuallo ſe ab illa abſtinet, vna cum fluxu materiei tẽdente ad partes illas infirmas, eſt in cauſa vt poſſit, & ſoleat fieri ſeminis humoralis effuſio. Hoc ergo genus gonnorrheę humorale vocatũ, quod aduenit abſque dolore, abſque frequenti venere, ſine magno labore, & penis tenſione, ſi ſemel, vel bis in anno, vt Vere, ſiue Autumno, vel alijs temporibus ſuperueniat, perſe-

Humoralis effuſio ſeminis.

ue-

uerãs per aliquos dies, vel menſem ad ſummum, illis nimirum, qui habent propenſionem ad calculum, ſit ſalutare nec ne, cuius rei diſputationem apud neminem vidi. Pro qua re definienda præter dictas limitationes, Poſtremò ſupponendum eſt, quod fuit depromptum à re medica, & vniuerſa Philoſophia, naturam cuicumque animali tribuiſſe aliquod particulare, qui cum ſe ab iniuria inimici defendere poſſet, vtique alijs vngues, alijs cornua, alijs duram pellem, alijs naſum oblongum, alijs hirſutos pilos, alijs manus, & pedes, ſic quoque cuilibet parti tam ætherogeneæ humanæ, quam homogeneæ, natura parens tribuit aliquid particulare, quo illæ ab iniuria humorum peccantium ſe defenderent, eoſq. tranſmitterent, quo poſſent, tam ad internas partes, quam externas (id autem eſt facultas expultrix), cumque hoc perficere nequeunt, decidunt ſuboque officio minimè fungi poſſunt, propter quid ex mirabili artifice naturæ multæ partes emulgentes fuere creatæ, vtique Ad expurgã-

Natura cuicũq. animali tribuit aliqđ particulare qui cũ ſe defenderet ab iniuria inimici, ſic etiã partib. tam ætherogeneis, quàm homogeneis.

dum

Emulgẽtes partes diuerſæ, quæ expurgant vniuerſum corpus, & partes oẽs tam homogeneas, quã ætherogeneas.

dum caput, nares, os, oculi, aures, Ad expurgandum pectus, os mediante tuſſi, via lotij, Ad expurgãdum hepar, ciſta fellea, renes, lien, Ad expurgandos verò renes, via lotij, & partes circumuicinæ, vt vaſa ſeminaria, venæ ani, Ad expurgandum lienem, venæ etiam hemorroidales, Ad expurgandum ventriculum, vomitus, inteſtina, quæ denique per alui ſeceſſum ab immunditie liberantur, quamobrem cum opifex naturæ partes has appropriatas confecerit pro illarum expurgatione, venit concludendum naturæ motus à Medico ſemper eſſe obſeruandos non ſemper faciendos, iuxta illud Hippocratis, quo natura vergit, eo ducere oportet, & per loca cõferentia, quę aphoriſtica locutio pertinet ad partem curatiuam, pertinet & ad partem prognoſticam, nam non ſtatim ac, natura vergit ad aliquam partem Medicus eam imitari debet, ſed duo ſunt animaduertenda. Primò perſpiciendum, & ſtatuendum eſt, quæ materies ſit ducenda, quo ſtatutò tunc monet ducendum. Secundò an

Explicatio Apho. 21. primæ parti. quo natura vergit &c.

illa

illa pars, per quam natura vult exonerari apta nata ſit ad eam exonerandam, & morbum, atque ſit locus conferens ad ducendum, ſicuti ſi quis laboraret pleuritide, cui ſuccederet motus naturæ inopportunus non conſentaneus, videlicet alui fluor (partes enim ſpirituales per ſputum liberantur, non autem per alui ſeceſſum, vt norunt optimi Medici, & res valdè trita apud Hippocratem) in hoc caſu Medicus naturam imitari non debet, ſed prohibendam; imitanda igitur aliquoties natura eſt, quoties partes petit, quæ naturaliter ſint conſentaneæ, vt poſſint expurgare partem illam affectam, & tunc eſt præſagiendus, an ille motus naturæ ſit opportunus necne, an prohibendus, an auxiliandus, & quando.

Natura eſt imitanda cũ partes petit appropriatas

Ex his igitur allatis, & in re medica ſuppoſitis, vt veris, facile eſt dicere gonnorrheam, de qua fit præſens ſermo, habentibus propenſionem ad calculum maximè ſalutarem eſſe, ratio eſt clariſſima; ſicuti vulgus Medicorum ad tollendum ſeminis profluuium affert præſidia, quæ

ver-

vergant ad renes, ſupra autem cum Galeno dictum eſt, eos non eſſe partes affectas; qua igitur de cauſa dantur illis huiuſcemodi præſidia? non propter aliam, ni eo quod ſint maximè cōtigua, & quæ conferunt vni conferunt,& alteri, & cum exoneratur vna,exoneratur & altera,itaque affectus videntur communicari, iuxta illud Hippocratis confluxus eſt vnus, conſpiratio vna, & omnia conſentientia; qua de re propter contiguitatem vaſis ſeminarijs,quam renes habent,qui ſi caſu abundauerint aliqua ſuperfluitate, vt exonerentur, natura inuenit vias appropriatas, per quas poſſit eos tanquam à ſarcina exonerare, & præcipuè vaſa ſeminaria,per quæ facillimè dimittuntur ſimiles humores acres, vel craſſi, vel pituitoſi vna cum ſemine naturę ſuperfluo, cum ſemine verò etiam excrementa naturæ excerni, vt pituitam, bilem, egregiè declarauit Ariſtoteles problematum ſec. 4.probl.17. & 30. eiuſdem ſectionis; immò videtur auferri tāta renum igneitas, quæ facilè ſi diù perſeueret, vt diximus

Cum ſemine emittūtur etiā alia corporis excrementa, vt pituita, bilis.

in

in Primo Libro poterit materias illas renes petentes, conuertere in lanuginem, filamenta, arenulas, tandem calculum coagulare, quamobrem cum vaſa ſeminaria ſint per opportuna ad renes exonerandos, vt partes debiliores ijs corporibus, quæ calculo laborant; Dicendum eſt illum motum naturæ optimum eſſe, & obſeruandum, quippe illa exonerentur ab humoribus, qui ſunt ducendi, ijque ſi longo tempore eo peterent, & perſiſterent, vt à ſarcina multa incommoda orirentur vtique dolores, grauedo, nauſea, pigritia ad motum, & tandem calculus; ne igitur iſtud inconueniens ſequeretur natura fabricauit ſimilem viam, ac alias neceſſarias temperamento, ætati, & tempori pro renum vtilitate adinuenit; Vlterius iure optimo poteſt addi hunc naturæ motum demittentem ad illa vaſa eſſe propriè renum, ſicuti enim ſupra dictum eſt, à natura rerum parente cuilibet parti fuiſſe aliquid tributum, qui cũ ſe defenderet ab iniuria humoris peccantis, ita renes, & vaſa ſeminaria fuere mu-

Natura renib. & vaſis ſeminarijs tribuit facultates quibus cũ ſe defẽderet à noxijs.

munita, vt aliæ partes, virtute expultrice, coctrice, retentrice, quibuſcum ſepapararent bonum à noxio, coquerent, retinerent, malavè expellerent, vtique accidere ſolet habentibus propenſionem ad calculum, nam aliquando ne renes à noxijs opprimentur, natura mediante virtute expultrice id noxij dimittit, quo poteſt, & per alui ſeceſſum, lotium, per venas, quæ in ſede ſunt eas aperiendo, & tandem per vaſa ſeminaria, vt experientia quotidiana comprobatum eſt (hæc autem eſſe loca conſentanea ad renes muniendos, ne inciderent in affectus annumeratos nuper dictum eſt) quod patet medentibus, & mihi notiſſimum eſt, quippe bis Illuſtriſſimum virum curauerim, qui in dolores nephriticos inciderat ob gonnorrheæ retentionem naturaliter ortæ, quæ parua euacuatio ſtatim ac denuò acceſſit, in priſtinum ſtatum ſanitatis reſtitutus eſt; immò aliquibus ordo præſeruatiuus eſſe ſolet à calculo, quando ſemel in anno, vel bis per menſem duret, vtique ſunt aliæ naturales euacuationes, ſcilicet hemor-

Suppreſſa vacuatio gonnorrhea, aliquoties excitat nephriticos dolores, vt excitant quoq. mala, aliæ vacuationes ſuppreſſæ, q̃ à morbis ſunt ordines præſeruatiui.

hemorroidum , iuxta illud Hippocr. nephritico dolore laboranti , ſi hemorroides ſuperueniant bonum ; partes enim inferiores comprobatum eſt à Schola Medicorum, liberari per vacuationes partium inferiorum, ſiue naturaliter factas , ſiue arte citas, eſt clarus textus Hippocraticus de natura hominis, in quo referuntur quatuor paria venarum, quæ à capite per vniuerſum corpus ſortitæ ſunt, quo in loco eas venas ſecandas inquit, quæ loco affecto ſunt conſentaneæ ad naturæ imitationem, vtrique renibus, lumbis doloribus coxendicum , teſtium, cæteriſque partibus inferioribus malè affectis inferiores venas aperiri iubet, videlicet malleoli tam externè, quàm internè poplitis ani, cui Hippocraticæ ſententiæ inhæret Galenus de curandi ratione per ſanguinis miſſionem 18. vt partes ſuperiores ſecta vena in cubito iuuantur , ſic quæ his inferioribus ſunt, illis quæ per poplites , & malleolos decurrunt; ex quibus poſtremò dictis colligere fas ſit, ſicuti enim natura ad partes inferiores exonerandas

Cũ partes ſuperiores ſunt medẽdæ ſuperiorib. incumbendũ eſt, cũ inferiores ſunt exonerandæ, inferioribus attẽdendũ eſt.

loca inferiora petit, ſi ſuperiora vult exonerare, vt plurimum ſuperiora; parique ratione Medicus ſi aliquid mali his partibus accidat, prædicere, atque auxiliari debet naturam imitando (mederi verò non eſt aliud ni naturæ morem imitari) adeò vt cum ſuperiora viſcera ſunt male affecta, ſuperioribus partibus ſit attendendum, cum inferiora inferioribus incumbendum; Quamobrem cum renes per vaſa ſeminaria expellunt,& ſe expurgant modo prædicto,ab omnibus rei medicę peritis pro certo ſtatuendum eſt,motum illum valdè naturalem eſſe ad liberandos renes à quacumque noxia, à qua poſſent moleſtari,ibique attendendum ne generentur filamenta,capilli,lanugo, & tandem arenulæ & calculi, cui rei præcautus medicus maximoperè debet eſſe intentus, pro præſeruatione illorum, qui ad lapides generandos maximam propenſionem habent.

Expurgatio renum per vaſa ſeminaria eſt ordo præſeruatiuus à calculo.

DVBITATIO SEPTIMA,

De rudimentis calculorum.

An calculi, ſiue arenulæ renum defluxi ad veſicam ſint cauſæ, & rudimenta lapidis; an verò craſſus, & terreſtris ſuccus influxus in capacitatem veſicæ ſenſim calore lapideſcat.

AN ſit renum calculus, vbi fiat, vtique generetur, & quę cauſæ lapillorum ſint iam ſatis diſputatum eſt de ijs Primo Libro huius tractationis, remanet modo examinandum an ſemper renum arenulæ, vel eorum lapilli ſint materiales cauſæ, & rudimenta lapidis veſicæ, an verò cauſa immediata inſit primariò in

ipſa capacitate veſicæ, abſque renum influxu; ſed quoniam in hac re dubia eſt opinio, idcircò ambarum opinionum argumenta in medium prima vice ſunt afferenda, & poſtmodum quid de his ſentiendum ſit, declarandum erit.

Fernieliana opinio, q̃ aſſerit oēs lapides veſicæ à renibus primũ rudimentũ habere.

Prima opinio fuit Fernelij lib. 8. cap. 13. patholog. qui ratione, & experientià probauit, fieri non poſſe veſicæ lapidem, niſi rudimentum trahat per nephriticos dolores, vnde ſi grandiuſculus in veſica lapis ſit, aliquandiù ſolet hęrere, ac plerumque perſiſtere, illicque allatarum ſordium adheſu coagmentari, dum verus, confirmatuſque lapis fiat, audacter affirmans nullum à ſe viſum eſſe, veſicæ cuius lapis fuerit repertus, quin prius nephriticis ſymptomatibus non laborarit, ac diuexatus ſit, & optima profectò ratione, enim verò ſi arenulæ, quæ à renibus in veſicam mandantur glutinoſum, & viſcidum humorem inueniant, quo veluti glutine alligatæ in lapidem concreſcunt, quoniam modo vnus, modò alter humor illis adhærens, lapidem in molem maio-

rem

rem in dies redigunt,& affert experimentum dicendo lapidibus veſicæ in medio ſemper reperiri nucleum, qui habuit rudimentum è renibus exturbatum rubri coloris, & ſubſtantiæ, quippe reliquum integumentum ac inuolucrum perfectum in veſica, vt plurimum albúm eſſe ſoleat. Cui ſententiæ Fernelianæ oppugnant, & contradicunt quamplurimi tam veterum,vt Hippocrates 4.de Morbis, quam recentiorum,vt Rondoletius, Iulius Alexandrinus, Antonius Valerius, qui omnes in vnum coeunt, dicentes multam materiam craſſam, & terream primum in veſica cogi, cuius pars inde intima exareſacta propter calorem non naturalem coagulatur,& creſcit,poſtmodumve hinc inde voluitur ab vrina aduſta, & ſemper ei aliquid adiungi neceſſe eſt, ex quo aſſiduo augumento generatur lapis; Modus verò clarior generationis lapidis in veſica optimè eſt deſcriptus ab Hippocrate 4. illo de morbis, qui locus fuit allatus Primo Libro cum diſputabamus, vt lapis generaretur, quem modo recenſere

Lapis veſicæ poteſt fieri abſq. eo qđ originem, & rudimentũ habeat à renib. ſed primũ eſſe habet à veſica.

ſuperuacaneum mihi videtur; ſed illud in eo concluditur nimirum, ex parte illa terreſtri, & ſicca, vel ex fece, & ſedimento craſſo ipſius lotij, quod ad veſicam detruditur ni eijciatur, calculum fieri, & generari, vt contingere dixit ab exemplo in vaſe cui immiſſa ſit aqua turbida, quæ ſi diù ibi reſideat, pars purior ſupereminet, pars verò craſſa in fundo ſubſidet.

Pro quarum opinionum conciliatione ſunt aliqua animaduertenda, de cauſis generationis lapidis, nam aliæ ſunt materiales, aliæ efficientes, per materiales intelligebamus ſupra ex Galeno partes ipſius corporis affectas, non autem ipſam materiam, ſiue humores facientes morbum, ſic etiam effectrices cauſas dupliciter conſiderandas eſſe ſuppoſuimus; primò prout efficientes per ſe ſunt, & primi motores vocantur; ſecundò prout ſunt efficientes per accidens, quæ gerunt aliquando vicem cauſæ immediatæ, cum defluant ad partes, & illas adiuuent, primò ſemper ſunt in parte affecta; ſecundariò poſſunt eſſe in alijs partibus corpo-

ris,

ris, vt ventriculus, hepar efficiens eſt capitis, caput partium infernarum; ſic pari ratione fas eſt dicere hoc in generatione lapidis veſicæ accidere, nam cauſam efficientem lapidis in veſica adeſſe clariſſimum eſt, licèt varij ſint Auctores quippe, alij intenſum illius calorem eſſe affirment, alij intenſum frigus, alij moderatum calorem abſumentum partes illas aqueas, ſed non dumtaxat iſte calor moderatus effectrix cauſa eſt, verùm etiam renum defluxus, quippe omne id, quod defluit ad veſicam, ſiue materiæ craſſæ, ſiue tenuis, ſiue arenulæ, ſiue filamentorum, vel lapillorum per renes, & vreteres percolatur, & ſic aliquo modo hæc omnia dici poſſunt efficientes cauſæ immediatæ, lapidem generantes in veſica, & rudimenta lapidis, vt vocat Fernelius, verùm materia illa terreſtris, & craſſa in veſica colligitur, diuinare enim eſt lapillum, ſiue arenulas renum fuiſſe pabulum, & rudimentum lapidis veſicæ, neque hoc negare eſt conſentaneum, cum vtroque modo fieri poſſit lapidis gene-

Quo renes tráſmittát rudimentū quod poſſit dici cauſa efficiens lapidis veſicæ.

ratio in veſica, iuxta illud Auicen. lib. 3. fœn. 18. tract. 2. cap. 16. communicant enim renes, & veſica in cauſa generationis lapidis, quod etiam innuit Hippocrates 4. illo de morbis, pituita verò ſedimento permixta glutinum euadit, ac primum parua lanugo accreſcit, deinde quod accedit arenoſum adiungitur. At adeſt non parua inæqualitas lapidis generati in veſica, ac lapidis, qui generatur in renibus, quoniam iſte minor eſt, & lenior, & diu permanere non poteſt, tam in renibus, quàm in veſica ſi decidat, quia vt plurimum fragiles, & molles ſunt, lapis verò qui rudimentum habet in veſica eſt maior, & vehementioris duritiei, veſica enim neruoſa eſt, & lapis tempore longo morari poteſt, quod clariſſimè docetur, & explicatur à Serapione tract. 4. de ægritudine renum, & veſicæ cap. 19. hoc verò fieri poſſe nimirum veſicæ lapidem à renum lapillis, & ab illis rudimentum primum habere, & è contra omne rudimentum, & illud primum principij lapidis eſſe in veſica, præter ea quæ diximus

Vtraque opinio tã Hipp. quã Fernel. veriſſima eſſe poteſt.

liceat

liceat poſtremò ſoluere obiectionem, de- de duas obſeruationes Illuſtrium viro- rum doctrinæ gratia referre.

Sed aliquis poſſet obijcere, lapidem non poſſe generari in veſica, niſi ante 42. annum, & non omni tempore, probat hoc Hippocrates in coacis prænotioni- bus 512. cuius verba hæc ſunt, ab anno 14. ad 42. vſque, natura omnis generis morborum corporis ferax eſt, contra ve- rò ab hac ætate ad annum 63. neque ſtrumæ fiunt, neque veſicæ calculus, niſi antea occupet. Cui obiectioni à multis recentioribus lata eſt reſponſio veriſſi- mum quidem eſſe in ſententia Hippo- cratis veſicæ lapidem, cum ibi habet pri- mum rudimentum ſemper debere fieri ante 42. annum, quando verò creſcit la- pis, & augumentatur in veſica poſt præ- dictum tempus, tunc rudimentum habet à renibus deturbatum, quippe lapillus diù in veſica contentus maximoperè au- gumentatur, propter aſſiduam copiam ſordium morantium in ea; ergo quacum- que ætate licet fieri lapis in veſica, quod

Si fiat lapis in veſica poſt 42 annũ qũo fiat.

in

in ſenibus omnibus cenſeri debet,& præcipuè qui antea laborarunt morbo renũ, poſtmodum veſica laborare veriſimile ſemper eſt : vt admonuit Valleſius in commen. ad ſectionem 3. lib.6. Epidem. Hippocrat. quod ex his obſeruationibus clarius apparebit.

Principium lapidis veſicæ à renibus eſſe Obſeruatio.

QVidam de Dominis Cardinalibus, qui erat multum calculoſus in renibus, & pluries in anno habebat paroxyſmum,dum fuit poſt mortem euiſceratus, vt moris eſt habebat quatuordecim lapillos in veſica, qui omnes erant rubicundi in centro, & omnes venerant de renibus, quorum quidam erant in forma propria, quidam fecerant vnam tunicam (cruſtam, ſeu laminam) quidam duas, & qui vidit teſtimonium perhibuit Tornamira comment.ad caput 75.9. Rhaſis ad Almanſorem.

Omne

Omne principium, & incrementum lapidis veſicæ, eſſe in veſica Obſeruatio.

VIdimus lapides ex veſica eiectos magnitudine oui gallinacei, quos paulatim viſcoſa materia obducta, veluti in cruſtas varij interdũ coloris, igneus calor indurauit, atque ita creſcere ſenſim traduntur; Margaritæ enim in conchis fieri eo modò cernuntur, gemmarijs varios veluti in cępis cortices torno detegentibus; ob eam cauſam corpora phlegmatica, ac melancholica puerilia, vel ſenectute confecta calculorum cruciatus ſentiunt: Alex. Benedict. lib. 22. cap. 35. de medend. morb. Ex quibus conſideranti patet vtramque ſententiam non eſſe à ſenſu, nec à ratione alienam.

D V-

DVBITATIO OCTAVA,

De Balneis naturalibus.

An Balneorum naturalium vſus ſit extrinſecus, an verò intrinſecus in calculo laborantibus.

SVPERIORI Libro diſputauimus de facultate Balneorum artificialium de eius apparatu, & tempore, quorum ſit vſus, remanet hac dubitatione dicendum, an Balnea à natura confecta, ſiue calida ſint, ſiue frigida, ſiue temperata, eorum vſus dumtaxat ſit per potionem, vt diximus de aquis medicatis, an verò extrinſecè adhiberi poſſint ad cauſæ, & ſymptomatis doloris ablationem, pro qua re definienda aliqua ſunt adnotanda de Balneis magis conſuetis apud Me-

Medicos; vt ex illorum cognitione poſtmodum facilè, quid de alijs ſentiendum ſit, vniuerſaliter iudicemus. Inter Balnea igitur clarè notum eſt alia vni, alia alteri affectioni eſſe accommodata, aliorum enim vſus eſt per potionem, aliorum per extrinſeca, vt in irrigationibus balneationibus, omnium verò tempus opportunius videtur initium æſtatis, autumno verò inopportunius. Primaria ergo balnea, quæ apud nos Romæ, & in multis alijs Italiæ locis experimento quotidiano ſunt comprobata, videntur infraſcripta, quia aliorum extra Italiam eadem erit ratio; de quibus omnibus diſſerere longa eſſet diſputatio, vt ex Baccio lib. 2. de Thermis colligitur.

In primis eſt Vicarellum Balneum, diſtans ab Vrbe 18. milliarijs, prope Barcennum; conſtat minera ſulphurea temperata, ac maximè ferrea, quippe aſtringat, luxata enim membra firmat, rupta oſſa inſtaurat, neruos contractos mollit etiam ex vulnere.

Vicarelli balneū ad membra luxata.

Stygianum, ſiue Stillianum Balneum pro-

Stygiani balneū ad ſcabiem, & alios affectus cutaneos.

prope Romam eſt, diſtans 28. circiter milliarijs, quod ſpatio 24. horarum, reiteratis balneis pluries, valenter operatur, etiamſi aliquando extra locum aqua delata ſit, eius verò vſus eſt ad ſcabiem, lepram, impetiginem, & alia vitia graſſantia cutim, omnique tempore conuenit, præcipuè menſe Maij, Septembris non ſub cane, illud verò exſiccat, digerit extenuat.

Apud Sáctum Caſſianum ſunt & multa balnea diuerſi generis, quia diuerſis affectionibus ſunt appropiata, enim verò aliorum vſus dumtaxat eſt extrinſecus, vt ſtillicidiorum, ſiue perfuſionum, vel irrigationum ſuper capita, propter varias affectiones tum à cauſa frigida, tum à cau ſa calida, ortum ducentes. Aliorum intrinſecus vſus eſt, vt Ficoncellæ celeberrimæ, ſiue fegatellæ, quæ actu eſt temperatè calida, non ingrata guſtui, mineræ ferræ abſterſoriæ qualitatis, cuius operationes ſunt purgare per aluum, & per vrinam, eaque ob naturæ mediocritatem alterat calida frigefaciendo, & frigida cale-

Ficoncellæ aqua ad omnes affectus partium naturalium.

calefaciendo, vnde ad omnem hepatis renum, cæterarumque viſcerum intemperantiam vtiliter bibitur, facit enim in frigidam cauſam, quia actu calida eſt, refrigerat ex accidenti, quia eductis humoribus calidis, refrigerantur partes internæ, & idcircò ob has qualitates hypocondriacæ affectioni ſiccæ mederi creditur.

Balneum aquæ Tetucianæ Salmacidæ vocatæ à ſapore, generatur in Caſtello Montis catini, quod confine eſt Piſtorio, hæc verò per aluum ducit, & vrinam partes naturales corroborando, diſſentricis, colico dolori maximè conſentanea eſt, ſeruatur Romæ, & alibi per annum integrum ad bene operandum.

Tetuciana aqua ad dyſſenteriá, & intéperatas partes naturales.

Balneum alterum adeſt in agro Lucenſi, ex quo aqua depromitur vocata Villæ, quæ epota confert ventriculo, appetitum excitat, cunctaque hepatis vitia ſanat, vel à cauſa calida, vel frigida, renũ caliditatem adſcitiam moderat, gonnorrheas antiquatas ſanat, arenulas, & lapidem comminuit, aluum leniter ciendo,

Villæ aqua ad renum calculos.

quod

quod totum praxi quotidianæ reſpondet.

Viterbij balnea ad ſterelitaté.

Sunt & Viterbij balnea, ſed præcipuè illud experimento quotidiano recipitur vocatum Gaio, ideſt delle Donne, ad vocandos menſes, & tollendam ſterilitatē, quam facultatem habere alterum apud Sanctum Caſſianum nuncupatum il Bagno grande, Auctor de Thermis recoluit.

Puteolana & Tripoli ſudatoria ad hydropem.

Puteolana balnea Neapolis ſulphurata vocata ſunt, Medici verò Neapolitani eò patientes mittunt, quando morbis frigidis laborant; quamobrem mirum non eſt, ſi Tripoli ſudatoria nuncupata eiuſdem generis, maximè opportuna ſint hydropicis, quia multum ſudoris excitant, craſſos humores excrementitios extenuant, quo præſidio Princeps olim Biſignani à ſudatorio iſto, ex hydrope confirmata liberatus eſt, Altomarus de cura aquæ intercutis recenſet; neque mihi ignotum eſt illud fictitium Fonſecæ libro 2. capit. octauo, in terra laboris vocata ad Neapolitanam regionem balneum adeſſe;

adeſſe; quod per ingreſſum mirabiliter frangat calculos, hoc verò falſiſſimum eſſe propter mineras ſiccas balneorum naturalium, non erit quis dubitabit.

Petrioli balneum apud maritimas Senarum mineræ ſulphureæ eſt, ac aluminoſæ in tertio gradu, ſiccæ & calidæ ſubſtantiæ, ac caloris actualis admodum digerentis, innatat vnctuoſum genus liquaminis; ſolet mederi morbis hepatis, hiſciadi, & omnibus doloribus articularibus ortum ducentibus à cauſa frigida, per ducciam verò confert paraliticis, comitiali morbo laborantibus, ſurditati, tinnitui.

Senarũ Petrioli balneũ ad epilepſiam, & cæteros morbos frigidos.

Patauij denique adſunt balnea Aponenſia nuncupata, de quorum qualitatibus variæ ſunt opiniones, communior tamen opinio fuit eſſe ſalſa, ferrea, ac nitroſa; de quibus plura habet Caſſiadorus, Dondius, Fallopius, & alij, qui de ijs ſcripſere, atque hæc ſunt balnea magis vſitata apud Medicos Romanos, & Italos; ſunt & plurima alia diſperſa per vniuerſam Italiam, vt Pedemontana, de-

Balnea Pauina ſub Apono ad renes, & alias affectiones.

quibus videndus eſt Baccius, qui peculiarem tractatum balneorum in vniuerſum edidit.

Ex his igitur balneis colligendum eſt, balneorum naturalium vſum in vniuerſum non eſſe extrinſecum pro diminutione, & fractione calculi renum, vel veſicæ, vel vreterum, in alijs verò affectionibus poſſe eſſe extrinſecum; At aliquorum in renum lapide intrinſecus vſus eſt, potando aquas ea quantitate, & menſura, vt dictum eſt Secundo Libro in cap. de Aquis medicatis, extrinſecè verò balnea in lapide renum adminiſtrantur dũtaxat hora dolorum, & in lotij ſuppreſſione tum renum, tum veſicæ, tum vreterum, & tunc artificialia ſunt conſentanea non natura patrata, quia iſta exſiccant vniuerſaliter vbique terrarum propter mineras, quæ indicatio non requiritur in calculo laborantibus, verùm humectatio partes relaxando, quod perficitur artificialibus, vt ſuo loco à nobis ſuperius explicatum eſt.

Balnea naturalia nõ conueniũt extrinſecè in calculoſis vbique terrarum.

L A-

LACONICA

DVBITATIO NONA,

De Vinis.

An Galliæ, Hiſpaniæ, Candiæ, & alijs regionibus, & locis Neapolitanis vtentibus vinis generoſis, vt Claretto, Maluaſia, Græco, Clarello, & ſimilibus potentiſſimis vinis, calculus frequentior ſit, quàm alijs regionibus, & locis habentibus vina leuia.

LICET præſens quæſitum ex ijs, quæ hucuſque diximus fuerit aliquo modo ſolutum, tamen peculiarem breuem dubitationem perquirebat, vt quid neceſſarium, quod maximoperè à medentibus obſeruandum eſſe mihi videbatur,

idcircò in primis præmittenda ſunt aliqua de vinis potentibus, & leuibus, vt poſtmodum ex ijs firma, & indubitata concluſio detrahatur.

Ita admirabili ingenio,& iudicio Hippocrates plurimis in locis, & affectionibus mentionem fecit vinorum, vt medici ſcrutantes,& ſpeculantes illius dicta colligant,vina valdè in morbis eſſe animaduertenda, tum pro ordine præſeruatiuo ſanitatem manutenendo, tum etiam ſi ea amiſſa fuerit recuperetur, quod quidem ex perfecta, & exacta cognitione vinorum tam potentium, quam leuium adimpletur, quæ iuxta habitum, temperamentum, prauas corporum diſpoſitiones veniunt in medicinam adhibenda,vt egregiè probauit Baccius de natura vinorum lib. 3.per multa capita, in qui bus vina annumerantur multis affectionibus appropriata. Vina igitur duplici modo fieri, & dici poſſunt potentia, vel efficiuntur potentia per coctionem in cal darijs æneis, vt ſunt omnia cocta, vel dicuntur potentia, eo quod de ſui natura

Quæ dicã tur vina potentia, & vt fiant potentia.

tum

tum ratione locorum, & regionum, tum etiam ratione vuarum, ac fauoris ſolis potentia redduntur; è contra Leuia vina dicuntur ea, quæ de natura vitum, vuarum, & locorum non egent cóctione, enim verò generantur in locis, & regionibus, in quibus huiuſmodi vina cruda vocata, totum ſuum eſſe leuitatis recipiunt, quoniam ſi in alias regiones, & ſolum, eędem plantæ, vel vites facientes vina leuia eſſent tranſportatæ, non producerent eoſdem fructus, neque idem vini genus, ſed diuerſum, quod expreſsè notauit Galen. de alimentorum facultate lib. 2. cap. 36. de perſeis ex Alexandria ad Aegyptum tranſlatis, enim verò in patria perſide venenum habent, in Aegypto verò illud deponunt, quæ perſea, non eſt perſicus, ſed pruna, vel aliud, Perſicus enim, & perſica vbique bona ſunt, vt admonuit Petronius libro tertio, & eſt quid diuerſum ab arbore perſea vocata, quod Virgilius 2. Georg. dixit communem hanc eſſe labem certarum frugum, vt ſignificauit his carminibus.

Quæ vocantur vina leuia, & qũo fiant, & reddantur leuia.

Vt differat arbor perſea vocata à Perſico.

Nec verò terra ferre omnes omnia poſ-
ſunt
Salſa autem tellus, & quæ perhibetur
amara,
Nec Baccho genus, nec pomis ſua no-
mina ſeruat.

Vina potentia habere facultatẽ calcu lũ creandi in renibus, & veſica ex antiquis colligitur.

Vina quidem potentiſſima habere facultatẽ arenulas, & calculos procreandi in renibus, & veſica, præter quã quod à praxi videtur receptum, tamen hęc omnia viſa ſunt eſſe comprobata ab antiquis omnibus, tum Hippocrate in victus ratione, quam Galeno 1. &4. de tuenda ſanitate, 8. Methodi, cum Petronio, & recentiori Baccio in libro 3. de natura vinorum cap. 15. & lib. 7. de vino Cretico modo maluaſia vocato, qui Auctores omnes prorſus aſſerunt vina tenuia, & aquoſa vrinam ciere, & calculoſis vtilia eſſe, quod non accidit vtentibus vinis generoſis, quippè iſta relinquant renibus tartarum, vt dolijs, etenim cum mutantur, & putreſiunt, in terram, atque arenulas paruo negotio vertuntur, pręſertim ſi accedant cæteri errores, qui committi poſ-

ſunt

ſunt in viuendi ratione, & alia quæ dicemus in ſequenti dubitatione (an Romanum cœlum calculo ſit obnoxium) immò ab aſſiduo vinorum potentium vſu, redditur aluus dura, & partes naturales obſtructionibus procliues fiunt, etenim quæ alijs ſunt craſſiora, vt ſunt fortia vina reſpectu leuium, ad coctionem difficiliora redduntur, ac nutrimenti ſuccum denſiorem reddunt, & præter hæc in vniuerſum Ariſtoteles ſectione 30. problematum primo: & de ſomno, & vigil. capite 4. omnia valde flatuoſa eſſe exiſtimauit. Quamobrem cum prædicta vina multis in regionibus, vt Gallia, Hiſpania, Candia, Burgonia, & alijs locis Regni Neapolitani procreentur, nullibi dubium erit in illis, ſi cætera correſpondeant calculum frequentiorem eſſe, quã alijs locis vina huiuſmodi fortia non habentibus, vt claretta generoſa, vel alba, vel nigra, quæ extant maxima copia in Auenione Pontificia Vrbe, Pedemonte, Delphinatu, & multis alijs Galliæ ciuitatibus; quoniam Hiſpaniæ non inferiora

Vſus vinorũ potẽtiũ aluum durã reddit, & obſtructiones facit cum ea difficile coquãtur, & flatuoſa ſint.

robore generantur vina; immò verò ſunt adeò generoſa, vt niſi à validis ſtomacho, aut aſſuetis tollerentur, eſteri verò ac minus aſſueti eorum difficile ſuſtinent magnitudinem, de quibus Hiſpanicis generoſis vinis meminit Syllius Italicus libro 7. Et tandem omnium potentiſſima accedunt præclariſſima illa tam rubra, quàm alba, quę gignuntur in inſula Creta, nunc Candia, vel in altera Cypri ſub Imperio Venetorum ſubditis, eaque diſtribuuntur in omnem terram, abſque vlla mutatione tam in mari, quàm ſi per vecturas aſportentur Venetias, Romam, in Germaniam, & ad alios Principes, & Vrbes Italiæ, de quibus vinis maluaticis, vel Creticis multoties fit mentio à Galeno, & Baccio loco citato, quem ſæpe recenſere non erubeſcò, quippe ſingularis fuerit in hiſtoria vinorum Italiæ; neque minori fama vigent ea, quæ aſportantur Romam à regione Neapolitana, Sicula, Calabrenſi, vtique erit Græcum è Summa, Iſchiæ, Clarellum, Magna guerra, Vernacea inimiciſſima renibus, vt idē

Vina Cretica.

Au-

Auctor de vinis notauit lib. 5. Centula, Scalea, & alia de quibus tractare noſtrũ non fuit ni percurrendo; Ex dictis igitur poſtremò concludendum eſt (quocumque in loco, ſiue ciuitate, vel regione, dicta potentiſſima vina procreentur, & ſint in vſu pro potione, vel fuerint alibi aſportata, ſicuti Romam aſportantur Neapolithana, Claretta Gallica, Cretica, & alia quamplurima) viros qui vtuntur his generoſis vinis familiares reddi ad calculos procreandos; quod vlterius docere videtur ſuperuacaneum, cum iam ſatis à nobis in præſenti opere fuerit probatum, & à multis receptum, vt quoque colligi poterit in dies ſingulos ex calculoſis, qui ſimilibus vinis vſi ſunt, ij enim non ſtatim ac, ſe ab illorum potione abſtinuerunt, vt ſpatio paucorum annorum, & menſium cæteris conſentientibus à calculis, ac doloribus nephriticis liberati fuerint, quorum atteſtationes peculiares non affero, quia Vrbi medentibus, & alibi notæ ſunt, & propterea habentibus propenſionem ad calculos generandos

Neapolitana vina Sicula, Calabrenſia.

tam

Salus nephriticorũ eſt vſus vinorũ leuiũ cũ optima viuendi ratione.

tam renum, quam vreterum, & veſicæ nulla maior ſalus erit, quam vſus vinorum leuium, de quorum ſpeciebus, & locorum differentijs tam potentium, quàm crudorum, breuiſſimè dictum eſt in Secundo Libro, ſed non dumtaxat vinorum leuium vſum calculoſi ſeruare debent, verùm exquiſitam victus rationem exercere, quæ funditus lapillos temporis lapſu creatos, ac eorum diſpoſitionem ad calculos creandos arripere ſolet, vt decantauit Aegineta lib. 3. c. 45. iam ſuperius à nobis allato.

D V-

DVBITATIO DECIMA,

De Veſicæ, & penis lithotomia ratione lapidis.

Cur lapides renum paulatim medicaminibus diureticis frangi poſſint, veſicæ verò magni nequaquam, ſed ſola lithotomia præſidium eſt, & ſoluitur quæſitum de extractione lapillorum, qui in medio virgæ, vel in collo veſicæ detinentur. Necne etiam quæritur an vlcus renum, ſiue veſicæ ex lapide recipiat curationem.

ANTIQVATVM prouerbium eſt, veſicæ magnos lapides ſolo malleo frangi, & ferro extrahi poſſe, cuius rei difficultates ab Auctoribus magni nominis variæ afferuntur; & ſuppoſitis

ijs

Digitized by Google

ijs quæ hactenus diximus de calculi veſicæ, & renum generatione, varietate ac curatione, remanet in hac dubitatione breuiſſimè examinandum, an liceat tentare præſidijs lotium cientibus, vt veſicæ lapides atterantur, an verò ſola lithotomia ſit tentanda, an ea amplectenda, an verò prorſus damnanda, & in primis clariſſimè patet plurimos Auctores rei medicæ, tam antiquiores, quàm recentiores audacter affirmare, veſicæ lapides frangi poſſe medicamentis diureticis, quæ res quam ſit difficilis, & vt parum praxi quotidiane reſpõdeat, quiſlibet etiam medicinæ ignarus iudicabit, præcipuè ſi lapides admodum magni ſint, qui tactu catheteris, vt plurimum agnoſcuntur; quod ſi calculi eſſent parui, qui per meatus penis egredi poſſent, tunc temporis vniuerſæ rei medicæ rationes, & auctoritates ſunt comprobandæ, & tentanda ſunt medicamina diuretica, methodo propoſita ſuperius in quæſito de lotium cientibus; ad hoc vt lapilli vi diureticorum attriti cum vrina expellantur, quo pro-

 fecto

fecto in ſenſu, & caſibus Auctores omnes de medicamentis diureticis loquuti ſunt; cur verò veſicæ affectus à calculis magnis ſanari non poſſunt, eoſque liquari, & frangi cum lotium maximè cientibus, vt accidere ſolet renibus; Tres primarias rationes affert Aurelianus, quas Primo Libro etiam tetigimus; nam cum veſica ſit membrum valde ſenſibile, per conſenſum omnes corporis partes vexare, ac trahere ſolet; ratio eſt quippe cum facillimè labefactetur à lapide, & ſic vt pars tunc debilior omnia corporis excrementa recipit (enim verò de ſui natura receptaculum excrementorum eſt) à quibus deinde opprimitur, quæ cum ſit oppreſſa non valens eſt expellere, & vt neruoſa trahit inſtar cordarum propter ſymptomata ratione lapidis euenientia. Secunda ratio, eſt quoniam in tali temperamento veſica eſt conſtituta, vt ſi vlceretur, & ſcindatur vllo modo coaleſcere poteſt, quod facile eſt in lapide accidere, enim verò omne neruoſum ſemel ſciſſum amplius non coaleſcit, vt admonuit Hippo-

Rationes Aureliani.

po-

pocrates 19. 6. particulæ, perfectum os, aut cartilago, aut neruus, aut genæ tenuis particula, aut præputium, neque augetur, neque coaleſcit; Poſſe verò à lapide fieri vlcus in veſica apud Medicos receptiſſimum eſt, quæ quidem vlcera tam renum, quàm veſicæ difficillimè quaſlibet curationes recipere poſſunt. Tertia denique ratio eſt, quia ſimile membrum eſt maximoperè ab ore remotum, quod non accidit renibus, & conſequenter medicamina, quæ per os ſumi ſolent pro lapidis veſicæ fractione parum prodeſſe poſſunt, & iuuamen ſuſcipere ea nequit, immò ducunt maiorem copiam ſordium, & materierum, quæ ſi diù detineantur lapides coaleſcunt; propter quas igitur rationes veſicæ lapidoſo magno conſulendum eſt totam curam, & diligentiam ponendam eſſe in optima viuendi ratione, quæ vim leuem ciendi aluũ, & lotium habeat, non autem inſtar medicamẽtorum fortiũ, de quibus ſuperius actum eſt, Neque laudo illorum conſilium, qui putant veſicæ lapidem frangi poſſe cum ijs, quæ

Medicamina diuretica nõ cõferunt calculo magno veſicæ, ſed ſola ratio victus.

per

per eius collum infunduntur; enim verò res periculo plena eſt, quippe cum ab illis inflammatio induci poſſit, timor adſit corruptionis, vlcerum, & ſimilium, enim verò inijcere ſolent, vel balſamum, vel ſuccum citri acerrimum, vel cępæ, vel verbenæ, quæ omnia vim habent neruoſa illa vaſa ledendi, veſicam vitiandi abſque eo quod frangatur lapis, præcipuè ſi magnus fuerit, & in ea duritiem receperit. Quamobrem cũ lapis magnus veſicæ, medicamentis diureticis, & alijs ſuperius enarratis extrahi impoſſibile ſit, ideò antiquiores omnes Græci, Arabes, Latini, excogitarunt nouum præſidij genus Celſicum vocatum, ideſt lapidis extractionem à veſica cum ferro, quod vt difficillimum remedium eſt, ita periculo plenum, nam vt plurimum, & maiori ex parte ægri pereunt, quam difficultatem ſenex ille Hippocrates innuit in iureiurando; cuius modus extractionis lapidis veſicæ diligentiſſimè fuit deſcriptus à Celſo lib. 7. cap. 26. quem omnes recentiores perſequuti ſunt, quæ profectò ſectio

Celſicum præſidium de extractione lapidis veſicæ.

ctio potius in pueris, qui non pericula noſcunt inſpicienda eſt, quàm in alijs ætatibus, cum multi pereant, licet ars non aboleuerit (perforata enim veſica Hippocrates 6. Aphoriſmorum 18. inquit eſſe rem lethalem, & quodammodo incurabilem). At quoniam negotium ſectionis eſt raro contingens pertinens ad Chyrurgos, & ab omnibus ſcriptoribus vulgatum eſt præſidium, ne aliquid præſenti operi deeſſet percurrere leui manu excogitaui.

Sed aliquis quærat, quando virtus expultrix propellere tentat lapillos paruos in veſica contentos, & propter infortunium ſiſtunt, & confirmantur in collo veſicæ, vel in medio virgæ, quomodo ſint illi extrahendi. Res quidem eſt etiam admodum difficilis, attamen varij modi recenſentur deſcripti ab Auctoribus; Galenus in locis affectis 6. c. 4. vult cui hęc accidunt iacere ſupinum, ac deinde crura attollantur, ſurſum concutiatur, tractetur penis, qua concuſſione, & compreſſione lapillus, qui continetur in medio penis,

Modi varij proponuntur ab Auctorib. de extractione lapidis in medio penis contenti, vel in collo veſicæ.

penis, vel collo veſicæ dimoueatur, ac inde per facultatem expultricem aliàs propellatur, quem motum concuſſionis, & compreſſionis laudauit quoque Antillus Medicus veterum præſtantiſſimus, cum ægro patienti nudum equum aſcendere perſuadeat. Aetius affert alterum experimentum Philagrij ſermone 11. cap. 5. qui ſecauit in ſummo pudendo, ligando penis extremam partem infra calculum, ſectionem verò faciendam eſſe inquit ſupernè non inferne, cum periculum fiſtulæ à ſectione facta infernè immineret. Serapio admonuit ægrum exponendum eſſe aquæ calidæ in qua detentum, inde candela, vel alio inſtrumento, ſi lapis ſit in collo veſicæ, vel in medio colis, intromittatur, ſed maxima diligentia, ne oriatur inflammatio, & vlcus, ſed ſiue lapis ſit prope collum veſicæ ad extremum penis dummodo paruus ſit, qui per canales illius anguſtos exire poſſit, vel in medio colis, noſtris temporibus adfuere viri diligentiſſimi, qui quodam inſtrumento bene ad tale munus accomoda-

Philagrij ſententia.

Serapionis ſententia.

Praxis Romana.

to extraxerunt pluries lapides in medio penis, vt contingit Romę pluribus, & Velitris D. Felici Floricello Medico, à cuius pene fuit extractus calculus ad magnitudinem amigdalæ, ego verò ſum illius ſententiæ his in caſibus ſemper vtillimum eſſe balneare, ſiue in hydroleo, ſiue aqua calida ſimplici, quoniam multoties Medici decipiuntur cogitantes adeſſe calculum in medio penis, vel collo veſicę, quod quidem falſiſſimum eſt, quādo præceſſit in vrinis cruor, cum ſanguinis grumi meatus penis, & veſicæ obſtruere poſſint, vt lapides, ex quibus animi defectus, pallor, anxietas apparent, vt colligere eſt ex Galeno nuper citato; ac propterea optima eſt penis, & regionis veſicæ Balneatio, nam meatus omnes vrinarios aperit, mollit, aſpros lenit, & ab ea balneatione facilior omnis curatio reddetur, vt adnotauit ſupra Seuenarola.

Vltimo etiam loco quæſitum fuit, an vlcera renum, ſiue veſicæ ex lapide recipere poſſint curationes, & quidem pro

quæ-

quæſiti ſolutione procedendum eſt cum diſtinctione, nam tam vlcera renum, quã veſicæ ſunt in multiplici differentia, enim verò alia ſubſequũtur poſt renum, vel veſicæ inflammationes, & tũc febres, dolores, grauitates comitantur, aut hæc viſcera fuere exulcerata propter abſceſſum, tuberculum, aut ex ruptura, aut ab fluxionis eroſionem cum ardenti lotio, aut ob aliam quamque cauſam; in quibus omnibus ſemper dolor acutus tempore mictionis adeſt, cum aliqua puris excretione; Si verò ſordida fuerint vlcera, feculenta mucoſa excernuntur, habentia craſſam ſubſidentiam, Si depaſcentia ſint vlcera, ſubcruenta ſanioſa, ac fętentia, cum mingendi difficultate excernuntur, Si denique vlcus leue tantum adſit in collo veſicæ, dolor dumtaxat tempore mictionis præeſt; omnes tamẽ ægri in vniuerſum ex vlceribus aſſiduè decumbunt, neque erecti ſtare lõgo tempore poſſunt, adeò vt plurimi decipiantur ex hoc ſolo ſigno affirmantes calculum adeſſe, quod multoties praxi quotidianæ eſt oppoſi-

Vlcera renũ, & veſicæ ſunt in multiplici differentia

 tum;

tum; ex quibus præmiſſis dicerem veſicæ vlcus à lapide ibi contento curationem vllo modo recipere poſſe, ratio eſt in promptu, quoniam ſemper præſens eſt cauſa faciens vlcus, quæ eſt lapis ad cuius extractionem fore fortaſſe, ſi maius malum euitaret, aliquo modo poſſet recipere curationem vitam protrahendo; Vlcus tãdem renum relictum ex calculo defoſſo, & tranſmiſſo ad veſicam, vel alia quaque cauſa patratum, etiamſi ſit res admodum difficilis, attamen cum diuturna, & exquiſita viuendi ratione, ac exhibitione lactis aſinini, vel ſeri caprini purificati, poterit faciliorem curationem recipere, nam lac aſperitates lenit, vlcerationes elicit, aliaſque affectiones extergit, quod quidem præſidium commune eſt omnibus vlceribus, & lotij ardoribus ex quacumque cauſa exortis, ita Aetius ex Ruphi ſententia ſerm. 2. capite 29. quem cæteri neuterici ſequuntur; Illud denique animaduertendum eſt aliquoties, pus mucoſum, ſordidum, ſanioſum cum narratis ſymptomatibus excerni,

Vlceribus commune præſidium eſt lac, & ſerum.

ni, & tamen affectus; neque adeſt renibus, neque veſicæ, vt ſuperius in Obſeruationibus adnotauimus, & Galenus docet in locis affect. 6. cap. 4. Atque hæc breuia volui dixiſſe in tam ambiguis, & rarò contingentibus præſidijs, tam Chyrurgicis, quàm medicis, potius doctrinæ gratia; quàm omnia neceſſaria ad prædicta quæſita recenſere, & percurrere voluerim.

DVBITATIO VLTIMA,

De Cælo Romano.

An cælum Romanum ſit magis obnoxium calculo, quàm multa alia loca, præcipuè propter affectiones hypocondriacas, quibus eſt maximè obnoxium.

DVO quæſita proponuntur examinanda in præſenti Dubitatione, videlicet an Romanum Cælum magis quàm multa alia loca, obnoxium ſit affectioni renum calculoſæ, quod quæſitum etiam defatigauit viros præſtantiſſimos, ſecundò an propter hypocondriacas affectiones hoc accidere ſoleat an aliter, quibus vrbis aerem ambientem maximè eſſe procliuem ſtatuimus, ideòq. pro

